TRACTATVS DE IVRE PRINCIPVM.

AVCTORE

FRATRE PAVLO CIERA VENETO

Ordinis Sancti Augustini.



BONONIÆ,
Apud Hæredes Ioannis Rossij. M. DC. VII.
Superiorum permissu.

Debito conatu, ac diligentia adhibita, pro reuiſione præcedentis Opuſculi, omnia Catholica, & pia inueni, etiam iuxta ſanctiones Sacri Concilij Tridentini, nec non cõmunis Indicis Romani ſaluiſq; principibus.

Magiſter Lucius Caccianimicus Bonon. Dominicanus.

Ego Bernardus Benſignatus diligenti adhibito examine nihil contrà fidem aut bonos mores inueni, ſed omnia iux. regulas ſacri Concilij Tridentini, & cõmunis iudicis Roman.

Idem qui ſupra Bonon. Theologus.

Imprimatur.

Inquiſitor Bonon.

Io. Maria Bell. Vic. Gen. Illuſtriſs. Archiep. Bonon.

Præludium, & Cenſura omnium hic dicendorum.

CVM *ex Doctore gentium Diuo Paulo. Quæcunq; à Deo ſunt, ordinata ſint, cùm in cælis tùm in terris: pro quibus primis, magnus ille Areopagita Dionyſius abundè diſcuſsit in libris tam de Diuinis nominibus quam de Cæleſti Hierarchia. Et cũ iuxta doctrinam eiuſdem tanti Doctoris, ſupremum infimi attingat, & coniungatur ſuo ſuperiori. Hinc omniſariam fatenda venit (in dirigendis rationabilibus creaturis.) Monarchica Chriſti Iuriſdictio, Diuo Petro, & eius ſucceſſoribus, arctè, ab eodem ſummo Capite, verbo inquàm incarnato (ſub typo gubernationis, & Paſcuorum Agnorum ſiue ouium) commiſſa, ac commendata, nec non cum fidiſsima ratificatione in Cæleſtibus, eorũ quæ per ipſum firmarentur in terris D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 104. 105. *quæ cuncta olim, & in antiquis ſcripturis Patriarcarum, ac Summorum Sacerdotum figuratè præmonſtrata fuere. Huc inquam ſcopus affectuoſuſq; labor (circa proprios allucinatos Lares prædilectoſue conciues) præſentis Auctoris virtuosè contendit. Et ideo ſi quæ prolata in ſequentibus, alio ex qualibet incuria digredi viderentur, ad prælibatũ intimũ intentum à pio Lectore, piiſsimè retorqueantur exoptat. Sanctiſsimoq; Chriſti Vicario Paulo V. eadem omnia Frater Paulus Cera Auguſtinianus Venetus humillime ſubſternit: vt paternæ confoueantur, & inſimul corrigantur.*

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. DOMINO
D. GREGORIO PETROCHINO
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Amplissimo Tit. S. Augustini.

TANTA *est humanæ imbecillitatis prauitas, (Amplissime Domine) tãta superbientium, & doxosophorum ostentatio, tanta (inquam) peruicacitas animorum, vt nullo sæculo, ac ætate quieti vnquã indulgere potuerint, ac tranquillitate potiri viri pij, & catholici, quos tanquam veræ fidei, & integritatis cultores, zelatoresq; paternarum traditionũ non impulerit continuata necessitas adscribendũ, ad resistendum, ad docendum. Ita inquit D. Pater Augustinus plurimum tales prosunt, non verum docẽdo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum Spirituales catholicos excitando. Vnum est (Illustrissime, ac Reuerendissime Cardinalis) à quo, velut ab vna totum religionis nostræ negocium pendet anchora, Auctoritas scilicet Summi Pontificis, quæ si inoffenso pede inter Christianos procederet, omnis prorsus tolleretur materia contentionum, scismatũ, hæreseωv, (audeo dicere) paganismus ipse, & alia quæuis falsa religio. Quis. n. nescit, dissensiones nostras, & quotidianas lites exteris ministeria esse scandalorũ, nobis autem ipsis odiorũ causam, & iniuriarum occasionẽ gignere? Hi nouerint, qui diabolica ambi-*

tione excæcati, ac impio fastu seducti, omni Christiano pudore, & timore posthabito, talia moliri minimè verentur. Exultant interim, & lætantur Christiani nominis hostes, & dũ nos diligẽti obseruantia vident aduersum nos tela cruenta conuertere, ipsi à tergo infligunt vulnera, regna diripiunt, prouincias depopulantur, bona quæque, rapiunt, errores vbiq; disseminant sacra profanis polluunt, & quod indignius est, gloriãtur in virtute sua. Quòd si oẽs Christi fideles sua nõ magis curarent, quã quæ Iesu Christi, atque ita Pastori suo, qui est Sũmus Pontifex, vt Christi oues debitum non denegantes obsequiũ, nutuiq; non ægreferentes obtemperare, cor vnũ haberent, & animã vnam, proculdubio rerũ omnium exitus prosperè quibuscunq; succederent, ac faustorũ successuũ præmia egregias subsequerentur virtutes; mox inde metu perculsi inimici nostri, sicut stipula ante faciẽ vẽti, fugerent à facie nostra: ex quo pax sũma adesset, regnorũ omniũ incrementũ, & verũ solatiũ populorum. Testor Deũ immortalẽ, quod cupio oẽs esse in viscerib. Iesu Christi: Quamobrẽ pro modulo tenuitatis meæ, quicquid in vtilitatẽ proximorũ meorũ, atq; honorẽ Dei existimo posse resultare, tentare nõ erubesco. Potens est enim Deus etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ, cuius lex est, infima per media ad suprema reducere. Cũ itaq; tẽporibus istis, in quibus paulatim percrebrescunt solicitudines accõmodatum tractatũ quẽdã, de Iure Principũ, in publicũ edere statuerim, quoniã in eo agitur de sũma rerũ, & de difficilioribus præsentis sæculi conatibus: æquũ duxi vestro Illustriss. Nomine exornare. Obsecro igitur, atq; obnixè præcor Amplitudinẽ vestrã, vt humile hoc obsequentis officium, ac Christianæ pietatis argumentum libenti animo amplexari, non dedignetur. Valeat. Dat. Bononiæ.

Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ Dom. vestræ

Seruus humilissimus F. Paulus Ciera Venetus Ord. S. Augustini.

PRINCIPES illi dicuntur qui dignitate, & poteſtate cæteros antecellunt, quales ſunt Pontifices, Imperatores, Reges, Duces, & ſimiles, quouis alio tã apud exteros, quam apud noſtrates notentur titulo: Græcè ἄνακτες, ἀρχηγοὶ, βασιλεῖς, ποιμανεῖς, κοσμήτορες; vnde autem traxerint originem, & quo iure, opus eſt diſtinctione ad innoteſcendum: nam cum ſint tria genera principatuum, naturalis, humani, & diuini; ius item triplex, naturale, humanum, & diuinũ; diuerſas quoque neceſſe eſt eorũ eſſe origines.

Eſt autem naturalis principatus poteſtas quædam, naturam conſequens, qua maior de iure naturæ, hoc eſt, ex innata æquitate minori præeſt, atq; item minor maiori ſubiacet, qualis eſt principatus Patris in filios; vnde Adam, poſtquam genuit Cain, dixit, Poſſedi hominem Gen. c. 4. per Deum; eſt autem poſſeſsio quidã principatus. Principatus verò humanus poteſtas eſt aliquorũ ſuper alios, humano iure introducta: eſt autem humanum ius, quod ſibi iuſtum, & æquum humana voluntas facit; cum ſit ex ſui natura indifferens, hoc eſt, neque iuſtum, neque iniuſtũ. Diuinus demum principatus poteſtas eſt, quam quis iure diuino, hoc eſt, diuina exigente voluntate, & ratione, cuius exequutio vera iuſtitia eſt, ſuper alios obtinet. Horum itaq; principatuum, hæ ſunt origines. Naturalis principatus cæpit ab ipſo mundi exordio, quando homines cæperunt multiplicari ſuper terram, & filios procreare. Initium verò principatus humani, (vt colligitur ex Platone in Dial. leg.) fuit huiuſmodi, q; elegãter ſic recenſet Marſ. Fic. Quatuor ciuilitatis figuræ præcipuè nu- Leg. 3. merantur. Prima quidem ſtatim poſt generis humani Marſ. Fic. calamitatem, in ſuperſtite quodam eius ſemine ſeruato,

vel

vel altissimorum montium beneficio, vel diuina potius prouidentia. Tunc.n.probabile est, filios, nepotesq; patris familias imperio paruisse. Quòd quidem imperium sola constat lege naturæ. Secunda figura inter familias plures, iam inter se vel oppido, vel vallo quodam simili congregatas, congregatas (inquam) tum indigentia mutua, tum metu ferarum.

Ouid. 1. Met.

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ.
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

Sed ab ipso cætus huius exordio verisimile est, tot gubernandi formas, quot & domicilia extitisse, opinionibus inter se, moribusq; longè diuersas: Ob quam diuersitatem mutuis subortis iniurijs coacti sunt communes quosdam arbitros, & iudices, rectoresq; constituere. Vnde tertia iam orta est ciuilis disciplinæ figura, à præcedente videlicet iniustitia ducens originem. Probabile verò est, eiusmodi rectores vrbis communes præscripsisse ciuitati leges, postquam honestissimas quasq; domiciliorum leges considerauerunt, per easq; rei familiaris disciplinam ad disciplinã reipublicæ transtulerũt. Quarta deniq; figura est in quodam gentium regno, vbi plures inter se vrbes, in eamdem voluntatem, communemq; legem ita conueniunt, quemadmodum in vrbem vnam familiæ plures. Prima quidem figura extra vrbem est per leges singulas natura, ratione, voluntate consistens. Secunda verò iam in vrbe, sed per singulas adhuc domiciliorum leges indigentia quadam, metuq; congregata. Tertia in ciuitate per leges iam communes occasione iniustitiæ iustitiam colens. Quarta ex pluribus ciuitatibus per eandem voluntatem, legemq; similem con-

congregatur. Vnde satis cõstat, eo in primordio homines, necessitudine coactos, sibi ipsis indixisse regna, leges, principatus, & imperia; nec longè abest Iustinus Historicus, opus suum ita exordiens. Principio rerũ gentium, nationumq; imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitraria principum pro legibus erant. Finis imperij tueri magis, quàm proferre mos erat. Et ideò D. Thomas 2.2.q. 10. ar. 10. inquit, quod Dominium, & prælatio introducta sunt iure humano. Certum est tamen, Naturam in genere causæ efficientis euexisse homines ad principatum, nulli sanæ mentis esse persuasum; quamuis.n. principium, operandi sit ipsa natura, cum sit principium motus, singularium tamen substantiarum, siue suppositorum sunt actiones. Iust.lib. 1. Sec. sec.q. 10. ar. 10.

Ex his itaq; latè patet, Principes in mundo, non Dei iussu, sed humana volũtate primùm fuisse introductos. Et ad maiorem huius veritatis euidentiam, legitur in Sacra Genesi de Nemroth, quod ipse cæpit esse potens in terra. Bella item pleraq; referuntur inter reges Amraphel Sennaar, Arioch Ponti, Chodorlaomor Elamitarum, Thadal gentium; & Basa regem Sodomorum, Bersam Gomorræ Sennaab Adamæ, Semeber Sebeyn, & regem Balę; Et Melchisedech Rex Salem, victori Abraham obuiam venit, & benedixit ei. Hos itaq; à Deo fuisse reges creatos, neq; sacra hystoria affirmat, neq; verum est, neq; rationabile fateri: quinimò adijciens dominus loqui ad Abraham, dixit, Leua oculos tuos indirectum, & vide à loco, in quo nunc es ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidẽtem omnem terram, quam conspicis tibi dabo, & semini tuo. Et iterum: Faciam, te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur. cum iam multi essent reges Gen.c.10. Gen.c.14. Gen.c.14. Gen.c.13. Gen.c.17.

ges

ges & terræ distributiones, & præscriptiones liberæ. ac si dominus innuere vellet Abrahę, ius gentium in adipiscendis principatibus neq; firmum esse, neq; stabile, ac cedere supergrediente diuino; propterea quamuis Abraham multas haberet possessiones, vernaculos, & seruos; simulq; de multis regibus victricem manum extulerit, numquam tamen aut rex, aut princeps appellatus est: aut igitur præfati Reges liberè à populis, aut vi, & tyrannicè eorum obtinuere principatum.

Quantum deinde spectat ad originem principatus, diuino iure introducti, dicendum est, quod sicut quatuor sunt huiusmodi principatus, Ducatus scilicet, Sacerdotium, Regnum veteris testamenti, noui verò Pontifica-
Ex.c.3. tus; ita quatuor sunt eorum origines. Ducatum itaq; introduxit Dominus primùm in personam Moisis, quando, cum pasceret oues Ietro, Soceris sui Sacerdotis Madian, vocauit eum de Rubo, & dixit. Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Aegypto, & misit eum, & eduxit populum de Aegypto; cui successit Iosue, & Iosue Iudas, sicut sacra testatur historia. Iisdem temporibus exordium sumpsit Sacerdotium, quando iusit Dominus Moisi, vt applica-
Ex.c.28. ret sibi Aaron fratrem suum, cum filijs suis, vt fungeren
Leu.c.8. tur Sacerdotio; & ipse fundens oleum super caput, Aaron, vnxit eum, & consecrauit. Regnum cæpit quando
Reg.1.c. Dei ordinatione tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saul, & deosculatus est eum, & ait. Ecce vnxit te dominus super hęreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Postremò Pontificatus initium
Ioã.c.21. adeptus est in persona Petri, quando dominus ei dixit.
Mat.c.16 Pasce oues meas, facta prius promisione illis verbis Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunq;

sol

ſolueris ſuper terram erit ſolutũ & in cælis. Super quibus verbis dicit Chryſog. Filius Dei vbique terrarum Petro cõceſsit poteſtatem,& homini mortali omnium, quæ in cælo ſunt,dedit auctoritatem,vt poteſtate clauiũ Eccleſiam amplificaret; & Anacletus in c.in nouo diſtinct.21. Sancto Petro inquit primo Pontificatus in Eccleſia datus fuit. Et Felix Papa in ſuis decretis docet,ꝙ per Petrum apoſtolatus,& Epiſcopatus in Chriſto cæpit exordium. & gl. in c. conſiderandum di. 1. ita dicit. hoc verbo, Paſce oues meas,factus eſt Petrus princeps Eccleſiæ. Hæ igitur ſunt origines,à quibus omnis principatus emanaſſe videtur. Chryſog. Anacletus Felix.

De Neceſsitate principatus. *Cap. II.*

IVSTITIA, vt docet D. Auguſtinus, habitus animi eſt,communi vtilitate conſeruata, ſuam cuiq; tribuens dignitatem,eius initium eſt à natura profectũ, deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſtea res ex natura profectas,& conſuetudine probatas legum metus,& religio ſanxerunt. Cum itaq; (vt dicit Plato) neceſſaria ſit hominũ generi,aliter non potenti viuere congregatio mutua, & ciuilis conuerſatio, neceſſaria quoq; eſt iuſtitia; nam (ſicut inquit idem B.Auguſt.) remota iuſtitia,quid sũt regna,niſi magna latrocinia? vnde ſine iuſtitia homines neq; conuerſari, neq; de aliquo tractare legitimè, aut commodè poſſunt, neceſſaria inde eſt auctoritas, vt iuſtitia ſuas partes habeat,& immunis reddatur à fraudibus, & violentijs iniquorum: at planum eſt,autoritatem ſine principatu eſſe nequire: igitur humano generi neceſſarius eſt principatus.hinc inquit Cicero.Sine imperio nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersũ Quæſt.83. q.31. Leg.1: De Ciu. Dei. Lib.4c.3. De leg:l:3

B genus

genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus
Prou c.11. poteſt.& ſapiēs: Vbi nō eſt gubernator, populus corruet.

Id etiam oſtendunt Philoſophorum principes Plato, & Ariſtoteles, qui humanum genus affirmant diu conſiſtere non poſſe, neq; in perpetuitatem tendere absq; aliquo legum ordine, ac forma; pares.n. non ſunt omniū mores, non propenſiones ſimiles, opiniones non eædem, affectiones variæ, & plerumq; contrarij animorum motus. Vnde Homerus.

Odiſ. ξ. Ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις

Et latius Euripides

Εἰ πᾶσι ταυτὸ καλὸν ἔφυ σοφόν θ' ἅμα
In Pheniſſis. Οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις
Νῦν δ' οὔθ' ὅμοιον οὐδὲν οὔθ' ἴσον βροτοῖς.

Et nihiloſecius omnes ferè propriam ſui excellentiam diligunt, ſicut dicit Ariſtot. Omnes ſui ſunt amantes, & ſua cuiq; iucunda, neceſſum eſt, facta, dictaq;: nam vt inquit Horatius

Rhet. lib. 1.

Lib. 1. Od. 18.

Subſequitur cæcus amor ſui,
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.

quapropter neceſſariæ ſunt leges, vt inde omnis diuerſitas, & confuſio, atq; proteruorum inſolentia auferatur; quod ſi omnium mores eſſent ſimiles, ac optimi, non eſſet neceſſariæ leges; leges nāq; ex malis moribus procreantur, nam ſicuti medicorum pharmacis nihil opus foret, niſi morbis laboraretur, ita legibus ferendis nihil opus eſſet, niſi perperā viueretur. hinc refert Ariſ. quod apud Aeginctas olim mos erat, vt pecuniaria pœna mulctaretur is, qui legis inſtituendæ occaſionem dediſset. Nihil verò leges prodeſſent, niſi auctorem haberent, qui non ſolum à violentorum importunitate illæſas ſeruaret; ſed etiam ne obſoleſcerent negligentia, curaret: talem igitur cum absq; iuriſdictione in cæteros

Rhet. lib. 2.

eſſe

esse non deceat, consequens est, principatum quoq; necessarium esse fateri.

Pręterquam quòd omnibus rebus ordinem quemdã experientia inesse, conspicimus; & Aris. in Methaph. inquit, quod in vnoquoq; genere est aliquid primũ, à quo cætera absq; repugnantia vlla, vt in esse perpetuo conseruentur, continuata successione diriguntur. Intelligentiæ, à se inuicem specie distinctæ, seruant hunc ordinem, vt scilicet inferior (sicut dicit Dyonisius Areopag.) à superiori illustretur, vt superior ab ea, quæ sibi superior est, quoadusq; perueniatur ad primã. Elementa quoq; suis operationibus, & alterationibus influentiam, siue virtutem agendi habent à corporibus cælestibus, quorũ lumine, & motu reguntur, vt inde omnia mixta suas sortiantur proprietates, & qualitates; vnde dicit Aristot. quod tota regio elemẽtaris sic cõtiguatur lationi astrorum, vt omnis virtus eius inde gubernetur; & D. Augustinus eadem similitudine vsus, sicut (inquit) corpora grossiora, & inferiora per superiora, & potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitę rationalis, & spiritus vitæ rationalis peccatoris per spiritum rationalem iusti. Anima præfertur corpori, ratio appetitui, prudentia cęteris virtutibus, homo cunctis animantibus: quoniam (vt dicit sapiens) omnia fecit Deus in numero, pondere, & mensura. Manifestũ ergo est, non ab re fuisse introductum inter homines principatum, veluti generi humano valdè necessarium.

Math. lib. | De cæl. Hier. | Metheo. 1 | De Vr. lib. 3.

Sed pro maiori huius negocij elucidatione, prætereundum non est, quod necessarium aliquid bifariam contingit accipere, simpliciter, & secundum quid, quæ distinctio cum pluries Aris. vsui venerit, facta est omnibus quodammodò vulgaris. Dico itaque in proposito, quod principatus etiam si necessarius sit ad resistendum aduersitatibus, quæ humano generi solent accidere;

 quo-

quoniam tamen fieri poteſt, & quandoq; contingit, vt ſine ſubiectione, ac prælatione aliqui viuant, vt Sicarij, & prædones, tametſi difficulter; propterea neceſsitas iſta neceſsitas eſt ſecundum quid, non ſimplex.

De Tyrannide. Cap. III.

Ariſt. Teor. Eurip. Gr. Naz. TYRANNI olim apud quoſdam Græcos citrà contumeliam appellabantur Reges: ita Ariſtophanes Iouem τῶν θεῶν τύραννον vocat; quamobrē Iſocrates, Euripides, Greg. Naz. & alij plerumq; Tyrannos cum Regibus confundunt; nihilominus mos incaluit, vt non niſi in malam partem Tyrannum quis intelligat, pro eo ſcilicet, qui ſibi indebitè principatum aſciuerit.

Pol. 3. c. 10. et 11. Ariſt. lib. 3. Pol. tres aſsignat ſpecies Tyrannidū: Barbaricam, Aesymnetiam, Propriam; Barbaricam Tyrānidem eſſe docet vnius poteſtatem, & dominationem, quam quis iure antiquorum ſui generis, ſecundum leges tamen obtinuerit, quales erant Regū Aſsiriorum, Perſarum, Medorum; Aesymnetiam auctoritatem vocat, ex electione populi tempore præfinito vni collatā, qualis fuit Pittaci aduerſus exules Mityleneos, quibus præerant Antimenides, & Alceus: Appellat autē Ariſ. hos principatus tyrannides, quoniam, vel ſunt præter conſuetudinem, vt Aesymnetia, vel præter populi liberum omnino ius eligendi, vt Barbarica: Propria verò Pol. lib 3. c. 5. Tyrannides vnius eſt authoritas violenta, quā diffiniens Ariſt. inquit, Tyrannidem eſſe dicimus dominatū vnius, ad proprium commodum intendentis; & libro quarto Pol. 4. c. 10. Polit. Neceſſe eſt (inquit) Tyrannidem illam Monarchiā dici, quæ nullis ſubiaceat legibus, & dominetur per vim æqualibus, & melioribus, ac reſpiciat ad propriam vti- Lib. 5. Argon. litatem, non ad vtilitatem ſubditorum. nec vulgi cura

Tyran-

Tyranni canit, Vale: Fl: Plato similiter in Gorgia Tyrannidem esse dicit licentiam in ciuitate habere quicquid videatur perpetrandi, siue interficere quempiam, siue expellere libeat, cæteraq; omnia pro libidine facere; & in Theage eos tyrannos vocat, qui vi ciuibus præsunt; quales narrant hystoriæ fuisse Agathoclem, vtrumq; Dyonisium Gelonem, Hieronem, Trasibulum Syracusanorũ; de Dyonisio refertur, quod ipso regnante contigit Syracusanos quinque annorum tempore cunctas facultates suas soluendis tributis consumpsisse. Alexander item Pheræus Tyrannidem exercuit in Thessalia, Busyris in Aegypto, Hipparchus, & Pysistratus eius pater Athenis; Periander Corinthi, Melanus Ephesi, Phalaris Agrigenti, Creon Thebis, Crabrinus Cremonæ, Milo Pisæ, Clearchus Heracleæ, Ecelinus Paduæ, Procopius Constantinopoli, Aristoclides, & Erginus in Orcomeno, Aristomachus, & Aristippus in Argo, Candaules Sardiniæ; Panætius, Periander, Phidon, Critias, Hecatheus, Nicocles, & alij ferè innumerabiles; ne recenseam eos, quos aluit Italia, totius Europę Prouincia pręclarissima.

In Gorg.

In Theage.

Ad propositum itaq; vt vertamus animum, Tyrannidem appellare non erit etiam incongruum quemcunq; illegitimum, & iniquum principatum; siue (vt inquit Scipio de Republica) sit vnius regis, siue paucorum optimatum, siue vniuersi populi. Proponitur itaq; an liceat aliquibus præesse cæteris, & dominari, quod idem est, ac quęrere, vtrũ Principatus oĩs sit Tirannis. Neq; tamen quæsitum nouiter, ac recenter repertum est, etenim Aris. libro primo Pol. sic inquit. Alijs autem præter naturã videtur esse dominatio, quoniam natura nihil differat; sed lege duntaxat inductum sit, vt alij liberi sint, alij serui, quapropter neque iustum: violentum enim. Et D. Augus. multis in locis refert, Donatistas quosdam, & Manichęos, Petilianum precipuè, & Gaudentium plerumq;

Scipio.

Pol. 1. c. 3

Augustinus.

rumq; voluiſſe ſubterfugere poteſtates,& ideò illas dam naſſe,velut contra diuinum ius introductas. Tandē hoc noſtro ſæculo idem facinus aggreſsi ſunt Anabaptiſtæ, & Trinitarij,genimina Lutheranorum,vociferantes vndique libertatem. Diuerſis autem rationibus mouebantur;alij namq; nitebantur ſuper iura naturæ, alij inconſentaneum eſſe religioni ducebant.eorum autem ratiocinationes erant tales. Natura omnes homines naſcuntur liberi, igitur eos in ſeruitutem redigere,violentū eſt omnino,& contrà naturam; quod argumentum licet priſcorum ſit, neotericorum tamen legibus confirma-

Inſtit. tur.Inſti: de iure perſo: & ff.de ſta.hom. l.libertas,quod ſeruitus ſit,qua quis dominio alieno contrà naturam ſubijcitur. Diuino item ſcripturæ teſtimonio roboratur:

Eccl.c.15. nam inquit Eccl. Fecit Deus hominem rectū, & poſuit

Pol.1.c.3. eum in manu conſilij ſui. Huic autem argumento reſpōdet Ariſt:libro primo Polit:vbi monſtrat,ſeruitutē intētam eſſe à natura,quatenus alij naſcuntur hebetes, ac rudes,quibus ſeruire prodeſt, ac iuſtum eſt, alij verò ele-

Sen.4.d. 36. gantes,& ingenioſi,quibus conuenit dominari. Hinc D. Thom.4.ſent.dupliciter aliquid dicit eſſe à natura intentum,primariò ſcilicet,& ſecundariò, ſiuè ſecundum primam intentionem,quomodò intēdit generationem,corruptibilis naturę conſeruatricē;& penes ſecūdā intentionem,quo modo corruptionem intendit,vt generet; ge-

Ariſt.lib. 2.de Gen. neratio enim vnius corruptio eſt alterius. Itaque ſi dicamus,prima intentione ſeruitutem à natura intentam non eſſe,benè erit dictum:ſecunda verò nequaquam; etenim cum primæ intentionis fine quodammodo fruſtrari ſe diſcernat, ad ſecundam ſe applicat, vt inde quo ad melius fieri poſsit res conſeruentur; & ad hanc eandem reſpondendi formam debent adduci iura,& Sacræ Scripturę adductum teſtimonium.

Altera raciocinatio ad religionem ſpectans erat. Nō

decet

decet, vt quos Christus in filios Dei adoptauerit, ac libertate donauerit serui sint, nam vt ipse dominus intulit Math. Liberi sunt filij. Inde Petilianus arroganter trahens sermonē ad seculares potestates. Quid (inquit) nobis est cum regibus sęculi, quos nunquam Christianitas, nisi inuidos sensit? Quid? vt breuiter doceam, Machabæos fratres rex persecutus est. Rex quoq; tres pueros, cum ipse sacrilegus esset, flammis, nescius religionis addixit. Rex quæsiuit animam pueri Saluatoris. Rex iustissimum Danielem ferinis morsibus (vt putabat) obiecit. Ipsumq; dominum Christum Iudex nequissimus regis occidit. Inde est, quod Apostolus clamat, sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo principium huius mundi cognouit &c. Et ideò D. August. hanc eandem argumentationem in eundem Petilianum retorquens, respondit. Quid, inquis, vobis est cum regibus sæculi, quos nunquam Christianitas, nisi inuidos sensit? Hoc cum dixisses enumerare conatus es, quos reges iusti senserint inimicos, nec considerasti, quod plures enumerari possunt, quos habuerint amicos. Pater Abraham à Rege diuinitus admonito, ne contaminaret eius vxorem, & amicissimè habitus est, & munus accepit. Isaac filius eius regem similiter amicissimum expertus est. Iacob, in Aegyptum à rege honorabiliter exceptus, eū etiam benedicit. Quid loquar de filio eius Ioseph? qui post carceris tribulationem, quo, velut igne aurum, castitas eius probata est, magnis ab eo sublimatus honoribus, iurabat etiam per Pharaonis salutem, nō tanquam typo elatus; sed beneuolentiæ non ingratus. Regis filia Mosen adoptauit. Dauid ad alienigenam regis Israel compulsus iniquitate, confugit. Helias ante currum pessimi regis, non illius imperio, sed suo cucurritobsequio. Helisæus hospitæ mulieri, si quid sibi fortè à rege per eius intercessionem pręstari vellet, etiam vltrò offerendum

Math. c. 17.
Aug. cō. lit. Pet. lib. 2. c 92.
Math. 2. c. 7.
Dan. c. 3.
Math. c. 2.
Dan. c. 3.
Math. c. 27.
Cor. 1. c. 2
Gen. c. 20.
Gen. c. 26
Gen. c. 47
Gen. c. 41
Ex. c. 1.
Reg. c 16.
Reg. 3. c. 18.
Reg. 4. c. 4

dum putauit. Hæc D. August. Hinc Petrus in sua epi-
Petr.1.c.2 stola dixit. Deum timete, & regem honorificate. Et Pau
lus. Necessitate subditi estote: sed ne quis non integro
Rom.c.13 animo, & pura dilectione subditus fieret huiusmodi po-
testatibus, addidit dicens: non solum propter iram, sed
etiam propter conscientiam. i. non solum ad iram euadendam, quod potest etiam simulatè fieri; sed vt in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris iussu Domini tui, qui omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. hoc .n. cum dice-
Eph. c.6. ret Apostolus, de ipsis potestatibus aiebat. hoc est quod seruis alio loco suadet. Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, vt idipsum quod subduntur dominis suis non eos oderint, aut fallacijs promereri desiderent. Neque huiusmodi seruitus repugnat Christianę libertati; triplex est.n. seruitus, à qua liberauit nos Christus; Prima est seruitus peccati; vnde Apostolus. Omnis quí facit peccatum, seruus est peccati; & ab hac liberauit nos Christus, dicēte eodē Apostolo. Liberati à peccato,
Rom.c.6. serui facti estis iustitiæ. Secunda est seruitus legis diuinę moralis, qua detinebatur homo in timore, & tremore, dum legem sine gratia sciebat impleri non posse, transgressoribus autem deberi pęnam: ab hoc itaque seruili
Cor.2.c.3. timore liberauit nos Christus per gratiam suam (dicente Apostolo) vbi Spiritus domini, ibi libertas. Tertia seruitus est cærimonialium & iudicialium præceptorū Moysis, à qua similiter liberauit nos Christus, teste
Gal.c.5. Paulo ad Galatas. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri; In his igitur consistit libertas, qua liberauit nos Christus, non autem in eo, quòd exemerit nos ab obedientia potestatum huius sęculi, quibus, quandiu in hac vita temporali sumus ex ea parte, quæ ad hanc vitā pertinet, oportet subditos esse, & de necessitate seruire; Quod si tamen velint esse ministri iniustitiæ, &

iniquitatis tunc inquit D. August. Qui non vult obtemperare acquirit grande prȩmium. Nam parere decet iussis, cum iusta iubentur. De Cor. Bon. c. 6.

De Multiplici genere Principatuum. Cap. IIII.

QVILIBET Principatus, aut Monarchia est, aut Polliarchia: Monarchia vnius est, Polliarchia plurium; Hæc iterum secatur in Aristocratiam, & Democratiam: Aristocratia potestas est optimatum; Democratia populi, & harum vtraq; Respublica nuncupatur. Sed quoniam animaduersum est, quelibet horum principatuum secum multas habere difficultates, & imperfectiones, vt quod perfectum est in vno supleret vicem imperfecti, quod est in altero, & ita commodius in vsum veniret, congruum fuit ad inuicem misceri; inde fit, quod in statibus, imperijs, & regnis tantas videmus officiorũ, personarum, iurisdictionum diuersitates, vt in mundo simplex nulla vigeat adhuc aut humana Monarchia, aut Aristocratia, aut Democratia, sed genus alterum, compositum ex his; propterea in vnoquoq; bene ordinato statu, cuius finis sit (vt dicit Plato) quod ȩquum est, & iustum, suas videmus habere partes optimates, & populum: prȩsidente vno, ac imperante.

Diuiditur similiter Principatus in iustũ, & in iniustũ. Iustus is est, quo quis iure obtẽto fungitur, vt debet; vnde iustus princeps dicitur, qui primum (vt dicit Plato) Leg. 1. ad cultum Dei, quasi ad signum omnia dirigit, de in modis omnibus Reipublicȩ commodis prouidet, publicam tuetur libertatem, pacem alit, excludit quam minimo suorum exitio maleficia, hospitalis est in peregrinos, in suplices indulgens: præcipit, ne quis abundans ipse patiatur proximum esurire, puros pastoris mores segregat

ab

ab impuris, atq; omnino dat operam, vt sanctos, & integros habeat magistratus: Iniustus autem is est principatus, quem quis aut iure non obtinuerit, aut postquam obtinuerit, iniquè se gessit in exercendis muneribus iusti principis; hæc enim prætermissa violentiā gignunt, quibus introductis, ipso facto princeps tyrannus euadit.

Quatuor pręcipuos huius generis principatus in mundo extitisse, historiæ narrant, Asiriorum scilicet, & Chaldeorum, Persarum, Medorum, Græcorum, ac Romanorum, quod autem fuerint tyrannides vi, ac violentia introductæ, vt non ad culmen illustre maiestatis eleuatę, ex eorum originibus satis constat. nam Imperiū Asiriorum, & Chaldeorum cæpit à Nemroth, de quo

Gen.c.10 dicit Sacra Gen. Quod ipse cæpit esse potens in terra, & erat robustus, & venator hominum, siue vt legitur communiter, corā domino; exponit tamē Alchuinus. i.

Alcuinus oppressor hominum, & extinctor; vnde per violentiam, & oppressionem aliorum acquisiuit sibi regnum, & imperium. Fuit autem principium regni eius Babylon, quę interpretatur confusio, & Arath; Archad, & Talamie. Imperium item Persarum, & Medorum per violentiam

Dan.c.5. fuisse introductum, apertè colligitur ex libro Danielis, vbi legimus, quod interfecto Balthasar, rege Babylonis, translatum est regnum, & imperium in Persas, & Medos. De Imperio Græcorum refert Machabeorum historia, quod Alexander Philippi rex Macedo percusit Darium, regem Persarum & Medorum, & constituit pręlia multa, & interfecit reges terræ, & sic obtinuit principatum. De Imperio tandem Romanorum; quod violentia, & vi ad tantam magnitudinem, & potentiam peruenerit, neminem latet. Et quidem (si verum fatear) nescio quale ius haberent Asirij, Persæ, Græci, & Romani in toto orbe, vt vellent suæ ditioni omnia subiugare, & vniuersos hominum cætus in miseram seruitutē redi-

redigere , violentia ergo fuit , & ambitio valdè deteſtabilis; Nihilominus præter Dei voluntatem, à quo eſt omnis poteſtas, & dominatus ita contigiſſe,non eſt dicendum, quoniam (vt inquit D. Aug.) Qui prudenter , atq; omnipotenter ſua cuiq; diſtribuit,non ſolũ bonis, verum etiam malis benè vti nouit. De Ciu. Dei lib. 14. c. 27.

Diuiditur iterum principatus in ſubalternantem , & ſubalternatum.Subalternans principatus auctoritas eſt, quę cum ſit ſuperior alijs, ipſa tamen ab altera non pendet , & eſt directiua aliarum. Subalternatus principatus auctoritas eſt,ab altera dependens auctoritate, & poteſtate, & ab ipſa dirigitur. Sicut, vt ita dicam, Princeps Feudatarius regis,quamuis ſui ſtatus liberam habeat regendi auctoritatem , & poteſtatem ; Regis tamen ſuperioritatem agnoſcit , cuius regulas ſi quodammodo infringere audeat,cadit à iure ſuo, & indignum ſe præbet illius, quem poſsidet principatus.

Poſſent quoq; alię aſſignari diuiſiones,quas tamen,ne res longius protrahatur, exiſtimo omittere conducibilius fore .

De inſufficientia iuris regnandi per genus, donationem, permutationem, vim armorum, & electionem. *Cap. V.*

SVNT qui dicunt,quatuor modis contingere, vt quis alicuius ſtatus , aut regni dominatum obtineat :genere ſcilicet,electione, vi armorum,& donatione, addam & quintum, vſui frequentiſsimum , permutatione,ea fortè ducti ratione,quòd experientia manifeſtum eſt,quemlibet rerum etiam minimarum,vno, aut altero ex his modis poſſeſſorem euadere;Sed quidem vt mihi

videtur,conātur frustrà, quando in vno ex his iustitiam causæ ponunt,ita vt ille censendus sit verus,& legitimus princeps,qui aut hęreditate,aut electione,aut iure belli, aut donatione,aut permutatione obtinuerit principatū: quilibet enim horum per se insufficiens est, & ex se iustam nōn facit causam.

Ius hæreditarium nullum est: quando is, qui hæredē constituit,non est verus dominus eorum, quæ possidet, neq; ob generis proximitatem potest quis alteri succedere in his,quorum ipse non erat iustus possessor; & ratio est,quia quilibet debet de rebus suis, & non de alienis testari.l.1. C de sacros. Eccl. gl. in l. conficiuntur §. post factum ver.testatur:in fine:de iure codicillorum,& q. & ideo filij,& nepotes tyrannorum dicuntur tyrāni. Idem similiter dicendum est de iure Donationis, & Permutationis; quia res aliena nec donari, nec permutari potest l.si filius:vbi gl.& Doct. C. de Donatio.& l.1.§. ideoque Pedius. de rerum permutatio.& facit d.l. si filius etiam de Permut. Ius armorum,quis nescit,ius non esse,sed vim simpliciter,ac violentiam? vnde Lucanus.

l 1. C. de sacrosan. Eccl.

l.si Filius.

lib.1.bell. ciu.

Imminet armorum rabies,ferriq; potestas.
Confundet ius omne manu, sceleriq; nefanda
Nomen erit virtus, multosq; exibit in annos.

Clemens. Fortè id animaduertit Clemens in Epist.4.quæ refertur 12.q.1.canon.dilectissimis, vbi legitur. Communis vsus omnium,quæ sunt in hoc mundo,omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, & alius istud. vbi exponit glos. Ioan. Theuthonici;per iniquitatem,idest per consuetudinem iuris gentium; ius gentium itaq;, quod præcipuè in armis consistit, solam appellationem iuris habet, re profectò iniquitas est, & violentia; & iustè tales raptores violenti deberent puniri magis, quàm ius acquirere, quoniam

Io. Theu.

aufe-

auferens vi aliena punitur toto tit. ff. ad l. Iuliam de vi publica: & in l. inuasor. & in l. si quis C. vnde vi. Quod arma, quæ sunt instrumenta iurum, iura cõstituant, nihil iusti habet: Hinc dicit D. August. inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regnandi cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est? propterea legitur, quod cum quidam Pirata comprehẽsus, ductus esset ad Alexandrum Magnum; Rex illum interrogauit, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille libera contumacia respondit, quid tibi, vt orbem terrarum? sed quia ego id exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, Imperator. Elegãter quidem, & veraciter. Propterea Politici ferè omnes ius istud armorum accusantes, aut cõfundunt cum iniustitia, aut ab iniustitia omnino non segregant, vt Iamblicus, Plato, Scipio, Cicero, Aristoteles. T. H. ad l. Iul. de Ciuit. Dei lib. 4. c. 33.

Ius eligendi maiorem præ alijs habet apparentiam æquitatis; & id sine exceptione aliqua ab omnibus approbatur, nihilominus easdem difficultates patitur quã cætera. Si enim populus suimet iuris non est, neq; dominus, semetipsum donare non potest, neq; seipsum in alterius redigens potestatem, subtrahere se à seruitio veri domini, sicut in præiudicium domini, & superioris, non potest subditus facere confæderationem, pactionem, & ligam. Bal. in l. debitorum C. de pactis & Iacobinus in inuestitura feudali. in princ. §. Vlterius dubitatur nu. 1. Propterea si populus Israel subtraxisset se à seruitute Saul, qui ei iussu Domini legitimè præerat; nonnè is, qui regnandi ius vsurpasset, iniustus fuisset princeps, & illegitimus? non est qui neget. Bald. Iacobin.

Ex his itaq; satis constat, modos prædictos acquirendi dominia, & regna in mundo, ex se inualidos esse, & nullius iuris, & æquitatis, quando illi, qui ea conferunt

non

non sunt iusti, & legitimi possessores; requiritur ergo ad legitimam alicuius dominij adeptionem, vt is qui constituitur princeps siue per hæreditatem, siue per donationem, siue per electionem, siue per permutationem (ius.n.armorum omnino ex se, nisi fiat ad tuendam libertatẽ Religionis, & populi, violentũ est, & cõsequẽter nõ iustum) ab eo constituatur, qui est verus dominus, aut habet auctoritatem constituendi. Et quoniam tractamus de vniuersali mundi regimine, & principatu, ne procedamus in infinitum, ad principium hoc necessariò oportet deuenire, quis scilicet sit dominus liber, & absolutus mundi, & super illũ, tanquam super rẽ propriã plenariam habeat auctoritatem. Talem autem Deum esse, non est qui diffidetur fateri; cum dicat Dauid: Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarũ, & vniuersi, qui habitant in eo; neque aliter dicerent Philosofi, qui modica de Deo cognitione sunt potiti; & Aristoteles si mundi eternitatem non posuisset, vt colligitur ex his, quę docet in Ethicis, & Politicis, certè non declinaret ab hac methodo. Si igitur Deus absq; exceptione vlla est mundi dominus, ad illum consequenter spectat reges constituere, & principatus in quos voluerit conferre, qui velut legitimi, & veri principes ab omnibus sint venerandi. Horum autem legimus quatuor tantum genera extitisse; Ducum, Sacerdotum, Regum in Israel, & Pontificum Christianorum. De alijs autem principibus, quocunq; tempore extiterint, quid sit dicendum, non omnino planum, aut explicatu facile. namq; reges fuerunt Melchisedech, Pharao, Iob, & alij de quibus sacræ historiæ honestam mentionẽ faciunt; nunquid tyrãni fuerũt?

Psal.

Respondeo. Vel tales reges cultum habebant veri Dei, vel eo carebant. quod si compertum sit eo carere, neque quidem vim regnandi habebant, & si de facto regnabant, regnum illud violentia erat; quæ violentia, etsi

non

non erat præter ordinem diuinæ voluntatis, quoniam per ipsam reges regnant, & tyranni tenent terram, erat tamen præter ordinem iustitiæ, & æquitatis, quam deprauat superba voluntas, dum non recognoscit verum patronum suum. Quòd si cultum habebant veri Dei, & Dominium, cum religione coniunctum, vt legitur de Melchisedech, & Iob, licitum erat, vt ad eiusdem diuini cultus incrementum, & humanarum rerum necessitudinis administrationem, eligerentur à populis, atq; inde, quoniã vim summi Dei recognoscebant, legitimi principes euadebant; non.n. tunc temporis homines erant alicuius particularis potestatis obsequio Dei iussu mancipati; tunc enim nullum habuissent ius eligendi, & in hoc casu electionem, donationem, genus, & permutationem existimo, legitimum facere principatum; quæ iura quamuis humana sint, non excludunt tamen quemdam occultum ordinem diuinæ prouidentiæ, qua (vt inquit D. August.) regna constituuntur humana. At vbi vera religione pastoris se se abdicauerũt, ius statim omne regnandi amiserunt: quoniam (sicut dicit D. August.) Vbi non est vera religio ibi non potest esse vera iustitia, & vbi non est recognitio supremi principis, à quo emanat omnis potestas, neque vera iustitia est, neque religio.

Ita legit D. Augu. de Natiu. Domi. aduer. Man.

De Ciui. Dei lib. 4. cap 33.

Potest nihilominus negocium hoc ad facilitatem maiorem reduci si dicatur, quod talia regna religione, & cultu veri Dei destituta, legitima fuisse quoad homines, siue quoad apparentiam, tanquam regna, neque à Deo reprobata, neque introducta; non tamen quoad rei veritatem, cum eorum finis, & vsus ea conuertat in tyrannides, & hypocriticas simulationes salutis subditorum; neque magnum quid est, quoniam Deus facit regnare hypocritam propter peccata populi; est autem hypocrita rex simulatus; quoad apparentiam scilicet tantum rex, in rei autem veritate tyrannus.

Iob.

Ab

Ab incarnatione autem filij Dei, & mundi renouatione, diuersum ab hoc est introductum ius regnandi; & gubernationis mundi diuersa dispositio facta, quæ qualisue sit in sequentibus ostendetur.

Quod Christus Filius Dei viui totius sit mundi Dominus. *Cap. VI.*

DEUM Opt. Max. vniuersalẽ esse mundi dominum, ac regem vniuersorum, adeò manifestum est, vt maiori probatione persuaderi non expediat. Habet nihilominus partem aliquam difficultatis si potestatem hanc, & dominium Christo dederit, ac in eum contulerit omnem suarum creaturarum iurisdictionem, quod si pium est credere, & attestari, dictum tamen illius ad Pilatum, Regnum meum non est de hoc mundo, videtur rationem aliquam suppeditare mentibus hæsitandi; vt enim exponunt Sancti Patres Io: Chrys. Thoph. Cirillus, Augusţ. & Ambr. Dominus his verbis auferre voluit à Pilato suspicionem, qua credere poterat, se regnũ Iudeorum temporale affectasse. Hinc multi ex sacris doctoribus non desunt, qui doceant expresè, Christum filium Dei nunquam fuisse dominum in temporalibus, & consequenter circa temporalia nullum propriè ius habuisse, neque habere principandi; & vt hanc opinionem aliqua videantur ratione communire, dicunt, quod huius auctoritas, siue iurisdictio non erat Christo necessaria, neque vtilis, sed planè superuacanea, & inutilis; nullum autem tale debet attribui Christo, & probant; quoniam finis aduentus eius in mundum sola erat redemptio humani generis; ad hunc autem finem non erat necessaria temporalis potestas; sed solum spiritualis,

Io: Chrysost. Theophil. Cirillus, Augustinus, Ambros.

lis, siquidem per ipsam spiritualem poterat etiam disponere de rebus temporalibus omnibus eo modo, quo iudicabat expedire ad humanam redemptionem, (& quidem dissonum valdè mihi videtur, posse disponere de temporalibus omnibus, & non habere directum dominium super illa. Sinamus modò) Quod autem fuisset inutilis ex eo probát, quòd Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deliciarum, opum, & omnium rerum terrenarũ, quibus maximè affluunt principes huius mundi. Eamdem insuper positionem confirmant, ex eo quia de hac re non vident posse afferri aliquod Sacræ Scripturæ testimonium, & si quando afferatur, illud dicunt intelligendum esse de potestate Christi, & iurisdictione spirituali, & ęterna, non autem sæculari, & temporanea, quale illud est. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prędicans præceptum eius, & illud. in diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non discipabitur; regna autẽ tẽporalia non sunt æterna. Psal. 2. Dan. c. 2.

Quibus argumentationibus antequam respondeam, dico primum, quod Christus verus Dei filius Dominus est & rex totius mundi, nulla exceptione facta rerũ temporalium, & spiritualium, id autem auctoritatibus sacrę Scripturæ, & demonstrationibus euidentissimis probo.

Auctoritates veteris testamenti quamuis multò plures possent adduci, tres istas tamẽ pręcipuas animaduertere satis erit. Primæ est Ex. c. vbi Moyses loquitur ad populum, dicens, Prophetã suscitabit tibi Dominus, ipsum sicut me audies. constat autem, Moysi Christũ non esse inferiorem iurisdictione, & potestate. Secunda est Esaiæ c. 1. vbi verba faciens propheta in persona Christi inquit. Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit, sed planum est, quod armentorum possessio non pertinet ad Exod. c. Es. c. 1.

 dominium

dominium spirituale, ergo de iure Christus erat Dominus rerum temporalium. Tertia est Danielis c. 2. qui in-
Dan. c. 2. quit. In diebus autem regnorum illorũ suscitabit Deus cęli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri non tradetur, comminuet autem, & cõsumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum;
Dan. c. 7. & cap. 7. Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerũt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi seruient: Potestas eius potestas eterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Quod autem loquatur de regno temporali, per quod Christus dominaturus esset inter Christianos, & de Christianorũ regno, quod datum est Christo, ex eo patet, quòd loquitur de quatuor regnis mundi temporalibus, per quæ mundus esset longo tempore gubernandus; subiungit deinde, dissipanda fore hæc regna, quod experientia contigisse, videmus: post quorum contritionem immediatè cõmemorat regnum Christi, quod in æternum duraturum esset, quòd si spiritualiter tantum intelligeret, præterquam quod à proposito genere loquendi defecisset valdè (loquitur enim ibi de temporali mundi gubernatione) verum à contritione Romanorum, vsque ad Antichristum nullum futurum fuisset regnum temporale in mundo, quod quidẽ falsum esse, scimus; itaque cũ dicat, mundum debere subijci post horum imperia Christo, certè intelligit de tẽporali, & spirituali. Ex nouo testamento similiter superabundant auctoritates. Ego, & pater (inquit Chri-
Ioan. c 6. 16. stus) vnum sumus. Omnia, quæcunque habet pater, mea
Matth. ca. 10. 28. sunt. Omnia mihi tradita sũt à Patre meo. Data est mihi oĩs potestas in cœlo, & in terra. Si de spirituali tantũ intelligeret, nõ esset oĩs potestas ẽt in terra. Nec verè diceret

ceret Filius, ſe habere oĩa, quę pater, eo quia vnus eſt cũ Patre. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Qui de ſurſum venit ſuper oẽs eſt. Nũc iudiciũ eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. In mundo preſſuram habebitis, ſed cõfidite ego vici mundũ. Quid clarius? quid euidentius? neque illud modicam habet vim ad perſuadendum, quod dixit Chriſtus duobus diſcipulis ſuis, quando miſit eos in caſtellum, vt inuenientes aſinam, & pullum eius ſoluerent, & adducerent ei. Si quis vobis (inquit) aliquid dixerit dicite, quia Dominus his opus habet, & illud; cum Chriſtus veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei. Magiſter veſter non ſoluit didrachma? ait: etiam, & cum intraſſet in domum, prçuenit eum Ieſus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis. ergo (ſubiunxit Ieſus) liberi ſunt filij; ne aũt ſcandalizemus eos, &c. Paulus quoque multis in locis ſuarum Epiſtolarum teſtatur idipſum, præcipue autem ſcribens ad Coloſſ. inquit de Chriſto. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis; & ad Hebreos. Multifariã, multiſq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouiſſimè locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quẽ fecit & ſęcula. Ioannes itẽ in ſua ἀποκάλυψι cap. 1. dicit, quod Ieſus Chriſtus eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorũ, & princeps regum terræ. & c. 11. quod audiuit vocem multorum, dicentium, Factum eſt

Ioan. c. 3. Ioã. c. 12. Ioã. c. 16. Luc. c. 11. Mar c. 10. Math. ca. 17. Col. c. 1. Hebr. c. 1. Apoc. c. 1. Apoc. ca. 11. Apoc. ca. 19.

regnum huius mundi Dei nostri,& Christi eius. & c.19. cum prius exarasset,quomodo apparuerit ei ille,qui dicitur Verbum Dei,refert, quod habet in vestimento, & in femore suo scriptum.Rex regum, & dominus dominantium.

Et ne ad idem confirmandum rationes prçterijsse videar,tres adducam,quarũ sit hæc prima. Non est Christus minoris conditionis,quam Adam;sed Deus Adæ in mundo plenariam cõtulit potestatem; Ergo & Christo. Secunda est Christus nulli principi tẽporali erat subiectus;propterea In extrauag.Ioannis 22. quæ incipit.Licet iuxta. condemnatur Marsilius de Padua, & Ioannes de Ianduno,eo quòd inter articulos,quos falsò dogmatizabant,hic vnus erat, & primus; quod scilicet,quando Christus soluit tributum Cæsari, hoc fecit non condescensione, & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus, velut ei subiectus, ergo consequenter erat ipse dominus, cçteri autem,etiam reges sibi subiecti; omnes enim anima sublimioribus potestatibus subdita est,inquit Apostolus. Tertia est. Christus inquantum homo caput est omnium hominum, & Angelorum, sicut dicit Apostolus, & vt omnes Catholici Doctores affirmant, non animarum tantum;sed verè hominum vt ex carne, & anima rationali consistunt. Si itaque Christus est caput omnium hominum:quale alterum imperium est formalius isto?

Ioan. Extrau.licet. Marsil.de Pad.& Ic. land.condemnati.

Rom.cap. 13. Sent.3.

Ex his itaque liquido constat,Christum absque principatuum exceptione regem esse, & dominum vniuersalem mundi.

Ad rationes tamen, in contrarium adductas,respondeo,& ad primam dico, quod regnum Christi non erat de hoc mundo,quantum ad apparentiam:non enim vtebatur militibus, thesauris, opibus, quibus vtebantur cçteri reges, hinc mirabile est dictum illud Senecæ.

Sen. in Tragœd.

Regem

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:

Itaque hoc modo intelligunt supradicti Patres, quod Christus non affectabat regnum temporale Iudæorum: habebat nihilominus ius omne, & potestatem in vniuersos; vnde dixit ad Pilatum. Non haberes in me potestatem nisi tibi data esset desuper; ergo potestas, quæ desuper veniebat Pilato Christi erat, quoniam veniebat à Christo. Omnis enim (inquit) potestas data est mihi in cęlo, & in terra; habere aūt potestatē in cęlo, & in terra, quid est aliud, quā suo modo disponere oīa, quæ sunt in cælo, & in terra? potestas ergo, quam habebat Pilatus Christi erat, quam etsi Christus nō exercebat, hoc erat, ne impedimēto aliquo esset redemptioni humanæ, quare dicit Propheta. Oblatus est, quia ipse voluit. Ad secundam autem dico, quod non erat neque vtilis, neque necessaria talis potestas quoad apparentiam, & exequutionē, nō tamen sequitur, quod ius habere nō debere velut Filius Dei, & hæres vniuersorum, per quem facta sūt sæcula. Ad Tertiam similiter dico, quod ex scripturis nō elicitur, qđ Christus haberet milites, thesauros, opes, & hmōi, quę omnia spectant ad apparentiam, sed bene elicitur, quod haberet iurisdictionem super omnia, vt dictum est superius. Ad id autem quod testimonia regni Christi intelligantur tantum de regno ęterno, quoniam temporale non est ęternum. dico (vt superius) quod Christi regnum tam super spiritualia, quam temporalia, adhuc durat, quoniam Christus adhuc rex est, & dominus totius mundi, & eandem potestatem habet, quam habebat à principio; imo eadem potestas, quam cōtulit

Mar. 18.

Esai. c. 53.

Petro

Petro regendi omnes Christianos,& consequenter quã habent cæteri Principes Christiani,viget adhuc,& non deficiet in æternum; est autem omnium Christianorum vnum regnum,& vna Christi possessio.

Quem suæ potestatis, & iuris successorem reliquerit in hoc mundo Christus Filius Dei. Cap. VII.

EX præcedenti ergo capite indubitatum cuique manet, quod Dominus noster Iesus Christus vnigenitus Dei filius dominus est,& princeps vniuersorum, & quæ in cęlis sunt, & quæ in terris; ex quo sequitur, quod penes se erat auctoritas,nouam in mundo constituendi formam regiminis, & principatus, & ideò optimè noscens imbecillitatem conditionis humanæ, quæ sine ordine principatus diù appositè consistere nequit, prospiciens ad futuras calamitates sui gregis,quales esset passurus, si sine duce, rectore, & pastore esse sineretur;antequam de hoc mundo trãsiret ad Patrem, vocauit ad se Petrum,quem cum prius,vt in affectũ sui amoris exardesceret,incendisset,Pastorem constituit vniuer-

Ioã c.21. Math.19. salem suæ Ecclesiæ, dicens. Pasce oues meas, & ex eo quia aliàs ei dixerat:Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & tibi dabo claues regni cœlorum., & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum,& in cœlis,& quodcunque solueris super terrã erit solutum & in cœlis; illimitatam reliquit hanc sibi pro-

Quęst vet. & no.test. q.75. missam, & traditam potestatem. vnde D. August. Sicut (inquit) in Saluatore erãt omnes causæ magisterij, ita

Chrysog. Act. Apostol. & post Saluatorem in Petro oẽs continentur. & Chrysog. super Act. Apostolorũ. ita inquit Petrus à filio super omne,quod est filij potestatẽ accecepit;non vt Moy-

Innoc.iv. ses in gente vna, sed in vniuerso orbe. Et Innocen.iv. in

Concil.

Concil. generali Lugdun. presidens, vt habetur extra de homici. in c. pro humani. lib. 6. dicit sic. Dei filius Iesus Christus, ne gregē precio sui sanguinis gloriosi redemptum, ascēsurus post resurrectionem ad patrem, absque pastore desereret, ipsius curam Beato Petro commisit. Non eo autem vsus est nomine gentili regis, sed Pastoris (quamuis bene vsus fuisset; nam Aristoteles etiam Mor. Nicom. li. 8. c. 11.
reges dicit non secus atque ouium pastores, & Homerus Agamemnonem pastorem populorum appellat, & Homerus
græci reges quoque vocant ποιμένας; à ποιμαίνω, quo verbo vsus est Dominus ad Petrum dicens Σίμων ἰωνᾶ Ioā. c. 21.
ἀγαπᾷς με, λέγει αὐτῷ, ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε; λέγει αὐτῷ, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου) non est tamen vsus, vt inde admoneret Petrum, & omnes successores eius, ac cæteros Christianos quoscunque rectores, & gubernatores, eorum regimen in ministerio, & affectu dilectionis consistere, non in ambitione, & fastu temporalis gloriæ, sicut cæteri reges mundi, & principes paganorum; proptereà in vltima Cœna dixerat Apostolis suis, quos tanquam Seniores populi in ministerium, & obsequium Moysis. i. Petri delegerat. Reges gentiū dominātur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercēt inter eos, Exo. c. 18. Luc. 22. Math. 20.
ambitione scilicet, & fastu, non dilectione, & affectu. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui preceſſor est, sicut ministrator; sicut ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, & tamē sum dominus. Et ita Petrus accepit Pontificatum, & regimen totius populi Christiani, & in Vicarium electus fuit Christi, cuius iurisdictionis sunt omnia regna mundi; Vnde in eius solemnitate exultans, ei Ecclesia canit. Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Resp. 3. 1. Noct.
Deus omnia regna mundi. Et super illa verba, Tibi dabo claues, infert Chrysog. Filius Dei vbique terrarum Chrysog.
Petro cōcessit potestatem, & homini mortali omnium,

quæ

Auguſt. Serm.

quæ in cœlo ſunt dedit auctoritatem, vt poteſtate clauium Eccleſiam amplificaret; Inde S.Auguſt. in Serm. Fortis,& humilis,admirans ait. O mira potẽtia, & ineffabilis gratia Saluatoris,quis plebeium piſcatorẽ Apoſtolorum facile crederet principem, & regibus obſiſtere,reges ſanctificare, regibus omnibus imperare, mundum refrenare legibus? Cum itaque,hæc ita ſint; Quis inter Catholicos eſt,qui neget poteſtatẽ hanc Petri, & principatũ emanaſſe in ſucceſſores eius Romanos Pontifices Linum,Cletum,Clementem,& cęteros,vſque ad præſentem Summum Pontificem Paulum Quintum? id docet, & tenet Catholica Eccleſia, neque vllus reperitur inter Doctores Catholicos, qui in hoc diſſentiat, quamobrem neceſſe eſt fateri,eãdem eſſe auctoritatem Petri,quam Chriſti, & Summi Pontificis, quam Petri: Manet (inquit S. Leo) diſpoſitio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine petræ pſeuerans,ſuſcepta Eccleſię gubernacula nõ reliquit: perſeuerat videlicet Petrus,& viuit in ſucceſſoribus ſuis. & Cyrillus Alexandrin. Sicut Chriſtus accepit à Patre dux ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum,& poteſtatem, & ſuper omne quodcunque eſt, vt ei genua cuncta curuentur; Sic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit. Si igitur Chriſtus dominus eſt,directè,abſolutè, verè, realiter, legitimè, vt demonſtratum eſt euidentiſſimè,totius mundi,& omnium hominum,qui ſunt in eo,tam quo ad ea,quę ad ſpiritum pertinent, quam quæ ad corpus: ergo etiam Summus Pontifex dominus eſt directè abſolutè,verè,realiter,legitimè totius mundi, & omnium hominum,qui ſunt in eo,tam quo ad ea,quę ad ſpiritum pertinent,quam quę ad corpus; nam vt infert Chryſog. in perſona Chriſti loquentis ad Petrum, quia amas me coram ipſis iam tibi confirmo,quod meum eſt plenum; & ideo D.Thom. in fine

Sermo. 2. de ann.aſſuæ ad Pont.

Cyr. lib. Theſ.

Chryſog.

Thom. 1. ſent.

in fine 2.lib. sent.dicit,quod Papa vtriusque potestatis apicem tenet.s.spiritualis, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est rex, & Sacerdos secundum ordinē Melchisedech, & dominus dominantium,cui potestas non auferetur,& regnum eius non corrumpetur.

Sed quidam huic demonstrationi se opponentes (nullum.n.est verum, cui aliquo modo sophisticè contradici non possit) ita ratiocinantur. Summus Pontifex non potest instituere sacramenta, neque absoluere à peccatis sine sacramentis, neque miracula facere, ergò non habet eandem auctoritatem, quam Christus. Argum.

Sed facile soluitur.Nam cum dicitur,quod ille qui vicē gerit alicuius principis habet totā auctoritatem principis,intelligitur quoad ea, quæ spectant ad officium, & administrationem populi,non indifferenter ad singula, quæ sunt principis, ita dicitur de auctoritate Petri, quod tota est,& omnis,etiamsi extendatur tātum ad ea, quæ pertinent ad regimen mundi,in quo genere non est institutio Sacramentorum,neque virtus miraculorum, aut aliud quid simile; nam vt inquit D.Thom. in 4. sentent.Ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia diuinitùs fundata; & ideò institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorū, sicut opus creationis ad opus naturæ. Dici etiam potest, quod Christus solum Pontifici illam potestatem, siue auctoritatem contulit, quæ puro homini communicari poterat, & quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, vt sine impedimento cultui veri Dei operam dare possent, & in finem consequi vitam æternam, quæ potestas dicitur ministerialis; altera verò excellentiæ, quæ soli Christo debetur; cuius generis sunt ea, quæ superius dicta sunt. Responſ. D.Thom. ſ.n.4.diſtinct.15.q.3.art.1.

Obiectiones quæ solent adduci contra ea, quæ præcedenti capite dicta sunt, circa absolutam potestatem, quam habet in temporalibus Summus Pont. Christi Saluatoris nostri Vicarius in terris. Cap. VIII.

DVAE sunt propositiones, quas ego sine dubio existimo veras esse, neque aliter credo, existimare posse eos, qui rem subtiliter, & piè velint animo perpendere. harum prima est; quod Summus Pontifex est verè, & absolutè mundi dominus. Secunda autem, quod omnia mundi dominia sint subalternata potestati eius. Aduersarij nihilominus multis occurrunt argumentationibus (& loquor de his, qui fidem catholicam profitentur) vtriusque propositionis veritatem extenuare tentantes; rationes autem magis apparentes, quas adducunt contra primam, quantum hinc inde potui colligere, sunt huiusmodi.

1 Christus nullum in temporalibus ius habuit, aut principatum; ergo neque Summum Pontificem decet habere talem potestatem, cum sit Vicarius eius.

2 Nihil, quod est interdictum Apostolis, potest dici conuenire Romano Pontifici iure Apostolici principatus, & probant, quia cum Romanus Pontifex succedat Petro in potestate, & officio, non potest habere iure Papatus id quod Petro, & omnibus Apostolis fuit prohibitum, & interdictum, sed Apostolis est interdictus dominatus in temporalibus. ergo Romanus Pontifex iure Apostolici principatus nō sic habet potestatem, aut iurisdictionem in temporalibus, quod sit dominus orbis. Minorem deinde probant per auctoritatem Christi, dicentis Apostolis suis: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatē exercēt

Math. ca. 20. Luc. c. 22.

in eos,

in eos,non ita erit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri,ſit veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus; ſic filius hominis non venit miniſtrari,ſed miniſtrare,& animam ſuam dare in redemptionem pro multis.

3 Si res ita ſe haberet, deberet id ex ſcripturis conſtare,aut ex Apoſtolorum traditione, ſed ex ſcripturis nihil habemus,niſi datas Pontifici claues regni cœlorum, de clauibus regni terrarum nulla ſit mentio: traditionem autem eſſe Apoſtolicam non eſt, qui teſtimonium promat.

4 Si Romanus Pontifex iure ſui principatus eſſet dominus temporalium, non fuiſſet aliqua donatio facta Syluestro,ſed potius reſtitutio eius,quod ſuum erat;cuius tamen contrarium Rom.Pontifex confitetur, & Imperator Conſtantinus,vt habetur in cap.Conſtantinus, diſt.96.& in cap.Futuram diſt.12. quæſt.1. cap.Conſtant.& c. Futuram.

5 Chriſtus non venit auferre regna temporalia ab aliquibus, ergo neque Summus Pontifex in his debet ſe intromittere. Antecedens probatur per illud, quod canit Eccleſia in feſto Epiphaniæ.

Hoſtis Herodes impie
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia
Qui regna dat cæleſtia.

6 Si Papa totius mundi eſſet dominus ſupremus,ſequeretur, quod ſinguli Epiſcopi eſſent principes temporales in oppidis, ſuo Epiſcopatui ſubiectis; ſiquidem id, quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſa, eſt quilibet Epiſcopus in particulari,quod quidem falſum eſſe,oẽs fatẽtur.

7 Diuus Bernardus, ſcribens ad Eugenium Papam, inquit lib.2. de conſolat. Nam, quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? quod habeo (inquit) tibi do. quid

 illud?

illud? vnum ſcio, non eſt aurum, nec argẽtum, cum ipſe dicat, aurum, & argentum non eſt mecum, eſto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, ſed non Apoſtolico iure, nec enim ille tibi dare, quod non habuit potuit, quod habuit dedit, ſollicitudinẽ, vt dixit, ſuper Eccleſias, nunquid dominationem? audi ipſum, non dominantes autem in clero, ſed forma facti gregis; & ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox domini eſt in Euangelio. Reges gentium dominantur eorum, &c. & infrà. In criminibus non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, propter illa ſi quidem has accepiſtis claues regni cœlorum.

c. Cum ad verum. 8 Nicolaus Papa in c. Cum ad verum diſt. 96. inquit. Cum ad verum ventum eſt vltrà ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatoris ſibi vſurpet: quoniam idem mediator Dei, & hominum, Homo Chriſtus Ieſus actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit.

cap. Quoniam. Idem ponitur in c. quoniam diſt. 10.

9 A quocunque Iudice ſæculari regulariter non poteſt appellari ad Summum Pontificem, ergo non eſt omnis poteſtatis ſupremus, & directus dominus. Antec. probatur teſtimonio, & auctoritate Alex. Papæ, qui in c. ſi duobus. extra de appellat. ad quęſtionem, qua quæritur. Si à ciuili iudice ante iudicium, vel poſt ad Papam fuerit appellatum, an huiuſmodi appellatio teneat? reſpondet. tenet quidem in his, qui ſunt temporali iuriſdictioni ſubiecti, in alijs verò, etſi de conſuetudine Eccleſiæ teneat, ſecundum iuris rigorem credimus non tenere. vbi Gloſ. inquit. Et ita patet, quod iuriſdictio temporalis non pertinet ad Eccleſiam.

c. Si duobus.

Gloſ.

10 Summus Pontifex non poteſt deponere principem laicum, ſiue vaſallum, ſiue extraneum ſine iuſta cauſa, & rationabili, & ſi ſine cauſa priuat ipſum, non ſolum peccat

cat conando, verum nihil agit priuando. Hæc Petrus de Palude. ergo non est liberè, & absolutè dominus principum, & eorum principatuum. Petr. de Pal.

11 Innocentius Papa tertius cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi. dicit, iurisdictionem temporalem solum casualiter Pontificem exercere; sed aliquid exercere casualiter non est, nisi per accidens; ergo non per se Summus Pont. habet temporaliũ rerũ iurisdictionem. c. Per venerab.

12 Summus Pontifex non est dominus regnorum infidelium; ergo non est dominus totius orbis, & omnium hominum. Antecedens probatur per id quòd Petro dominus commisit tantum oues suas, quæ sunt fideles, non autem infideles: quæ ratio aliàs commodius ventilabitur, & nullius esse vigoris ostendetur. Ioã. c. 21.

Respondetur ad ea, quæ superiori capite sunt obiecta. Cap. IX.

QVANTVM ad primam ratonem attinet, satis superque ostensum est, & luculenter in superioribus demonstratum, Christum Saluatorem nostrum orbis totius esse dominum, nihilque esse, quod non sit suæ ditioni subiectũ, & ideò plura addere superuacaneũ esto. Ad prim.

Secunda autem ratio, quæ nitebatur super id, quod Petro, & Apostolis fuerit interdicta dominatio temporalis; quamuis argumentum indifferenter procedat de vtraque dominatione; tenui admodum tamen efficacia pollet, & nullam earum tollit; nam dicta illa Saluatoris, Pasce oues meas; Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, satis indicant, inesse hanc ei potestatem. in cuius rei argumentum legitur in Act. Apostol. quod vir quidã Ananias, cum vẽdidisset agrum conscia Ad secun. Ioan. Math. Act. Apo. cap. 5.

vxore ſua, afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de precio agri? nónne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt. Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpacium, & vxor ipſius, neſciens, quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier ſi tanti agrum vendidiſtis? at illa dixit, etiam, tanti. Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare ſpiritum domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit ad pedes eius, & expirauit. Intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerũt, & ſepelierunt ad virum ſuum. Factum quidem mirabile, & omni ſtupore plenũ. Dicant aduerſarij. Pœna mortis mulctare, & tam ſæuam ſententiam ferre, & de facto exequi abſque vllo pietatis officio; pertinet ne ad iuriſdictionem ſpiritualem, an ad temporalem? certè ad temporalem: & tamen, diuina Dei ſic diſponente prouidentia, nec verbum quidem factum eſt in Eccleſia; nec dictum ei, cur ita facis? quid (inquam) ad Petrum de venditione agri, & precio eius? vnde tantus rigor? O grande factum, & admirabile, atque ad confirmãdam iuriſdictionem plenariam, & abſolutam Sedis Apoſtolicæ ſufficientiſſimum. Ad id autem, quod Chriſtus dixerit, Reges gentium dominantur eorum, &c. dixi ſuperiùs, qualiter ſit intelligendum: Non.n.ſunt verba ad interdicendam auctoritatem ſuis Apoſtolis aptè prolata, ſed ad inferendum modum, quo non ſicut cæteri mundani reges, & pagani faſtuosè, & petulanter, ſed humiliter,

militer,& obſequenter imperarēt,accommodata. Vnde addit. Vos autem non ſic.

Tertia ratio ſimiliter reprobatur, tanquam petitio principij: ex ſcripturis enim conſtat. & ex rationibus, quæ in ſcripturis fundantur,verum eſſe id,quod petitur. Ad ter.

Ad quartam rationem, quæ eſt de donatione facta à Conſtantino Syluestro,poſſemus quoque addere donationem factam à Rege Pipino, qui vt inquit Ado in Chron. DCCXXVII. Rauennam, totamque Pentapolim ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo tradidit, & ferè totam Italiā, teſte Leone Hoſt.Epiſ.lib.1. Chron. Caſſin. c.9. donationem item Ludouici Imper. factam Paſchali,& Mathildæ comitiſſę,quæ Liguriam,& Thuſciam Gregorio Papæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deuotiſſimè obtulit,Reſpondeo quod donatio Conſtātini propriè fuit reſtitutio ſub titulo donationis facta ab Imper: & ſub eodē titulo gratis accepta à Summo Pontifice; id autem fieri maximè conueniens fuit ob tepiditatem animorum illarum ætatum, qui non adeò incenſi erant, & excitati ad cribrandam quamcunque veritatem difficilium dogmatum Eccleſiæ ſicut modò exiſtūt; præterquam quod multa pro bono pacis, & vniuerſali vtilitate Eccleſiæ ſubticere licebat. Non refugit etiam dicere,propriè eam donationem extitiſſe, quatenus de facto præſtitit actualem obedientiam populorum, qui in illis ſtatibus erant Imperatori voluntate ſubiecti, & omne id quod aliquo iure,prætextu,& colore potuiſſet aliquando ſiue ipſe, ſiue quis ſucceſſorum eius prętendere ſuper eos, & huius generis fuerunt etiam multorum principum, & Imperatorum donationes, & hinc videmus, quod pluries fuerunt repetitæ donationes; Romam donauit Conſtantinus; Pipinus ſimiliter, & Ludouicus, Tuſciam quoque Mathilda, & Ludouicus. Idem autem pluries donari non poteſt.

Ad quar.

Ado in Chron. Leo Hoſtien.

Quinta

Ad quint. Math. Quinta ratio vim habet de facto; bonorum enim nostrorum non indiget; sed de iure nequaquam, quod ius sibi à Patre traditum Petro contulit. Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis; & huic sensui congruit sententia illa Saluatoris. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Ad sext. Sexta ratio omnino est inualida; nam Episcopi non habent plenariam, & absolutã potestatem in suis Diœcesibus, sicut Summus Pontifex in toto mundo: Episcoporum enim authoritatem limitatam vult esse Summus Pontifex; quam tamen limitatam Christus non contulit Petro. Hinc appellatio ab Episcopis ad Papam tenet, vt constat ex Concilio generali Sardicensi Can. 4. & 7. ex can. Nam, si quis Concil. Calcedonen. & ex multis appellationibus factis, diuersis existentibus Summis Pontificibus; atque hanc esse antiquam consuetudinem, dicit Leo epist. 89. à Summo verò Pontifice ad aliam personam non tenet, vt constat ex Gelasio in Epist. ad Faustum, & ad Episc. Dardaniæ. Ad illam (inquit) Sanctam Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus.

Concil. Sard. Concil. Calced. Leo. Gelasius.

Ad sept. Ad auctoritatem D. Bernardi respondeo, quod D. Bernardus loquitur in eo discursu ad Eugenium Papam ea dicendi licentia, qua quis loquitur, quando spiritu vehementi, atque feruenti alium siue maiorem, siue minorem, siue æqualem reprehendit; licet enim in tali genere absque iniuriæ nota, quandoque modum excedere, quẽ in sedata mẽte exigit conditio colloquentis.

Ad octa. Ad auctoritatem Nicolai Papæ dico, verũ esse, quod prouidentia diuina, quæ intrinsecùs operatur in cordibus hominum, diuersa officia ordine, & ratione in

Ecclesia

 164

Ecclesia distinxi t,mediantibus tamen hominibus; vnde dicit D.Augustinus. Quomodo verũ esset quod dictum est:Templum Dei sanctum est,quod estis vos,si Deus de humano templo responsa non redderet? Sed huiusmodi distinctio adeò ordinata est, vt vnius officium subalternetur dignitati alterius, ordine quodam directiuo vnius ad alterum, & quemadmodum dici solet, quod Episcopus non debet se intromittere in officium Præpositi,sicut neque inter religiosos claustrales qui præest, siue Prior non se debet ingerere in officio suorum ministrorum, non quod ius non habeat in eos; sed vt inde seruato cuiuscunque personæ ordine res melius dispositæ suum sortiantur finem; Deus enim in gradibus eius cognoscetur (inquit Psal.) suprà quod dictum Gregorius: Dum sanctam Ecclesiam Deus suscipit, in gradibus eius dignoscitur,quia & eius gloria per illius incrementa declaratur:ità adnotauit Gratianus de pe. dist.2. §. hæc quæ de charitate. & D. Dionysius lex (inquit) diuinitatis est, infima per media in suprema reduci. Itaque dicitur, quod Nicolaus Papa quando dicit, Imperat. & Pontificem non debere se immiscere officio alterius, intelligit quantum spectat ad exequutionem, non ad iurisdictionem; vnde ex hoc non videtur, quod velit inferre,Imperatorem Papæ subiectum non esse; & si declinauerit à via recta eum à Pontifice non posse obiurgari;nam idem Nicolaus iterũ inquit.Quod Christus beato Petro, vitæ æternæ clauigero terreni simul, & cęlestis imperij iura commisit.

Lib. 1. de Doctrina Christ.

Psal. 47.

In Ezech.

Gratian.

Dyonis.

Nicolaus.

Ad Nonam rationem, ex auctoritate Alexandri Papæ desumptam respondeo, quod cum sint distincta officia in Ecclesia, non decet alicui sui concessi muneris exequutionem adimere,vt inde cuncta ordinatim optimè disponantur, & in hoc sensu dicit Alex. quod appellatio à principe laico ad ipsum nõ tenet regulariter,

Ad Non.

non tamen ſequitur, quod ſi vellet Summus Pontifex, non teneret, tanquam ius ei fuiſſet limitatum, quoniam ergo ita nouit congruere, non vult teneri.

Ad Dec. Decima ratio pēdet ex dictis Petri de Palude, quem aduerſarij ſequuntur, vnde eius ſententiam pro certa ratione adducunt; ſed quoniam conſtat, Petrum de Palude contrariam habuiſſe ſententiam; ideo magnū quid non ſit, ſi eius dicta nō admitto; immò ex oppoſito dico, Summnm Pontificem, velut Chriſti Vicarium, cui nemo ſiue ſit Concilium, ſiue quælibet alia perſona, cuiuſcunque ſit excellentiæ, & auctoritatis non poteſt contentioſè dicere, cur ità facis? nec ipſe tenetur, niſi ſoli Deo reddere rationem miniſterij ſui.

Aliorum cauſas hominum Deus voluit per homines terminari, ſed ſedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. ſunt verba Ennodij in Concilio V. ſub Symmacho; & communiter in ſacris Concilijs id paſſim tenetur, & à Summis Pontificibus decernitur, nec cuiquę Catholico licet aliter dicere; quamobrē ſiue ſit iuſta, ſiue iniuſta cauſa, qua aliquem principem ſuo regimine priuat, ſiue (vt melius dicam) exequutione verè ille priuatus exiſtit, & non ſolum non peccat conando, verum confirmatur in cęlis quod agit priuando.

Ennodius Diacon.

Ad Vnd. Ad auctoritatē Innocentij Tertij dico breuiter, quod ibi Innocentius loquitur quantum ad exequutionem, & exercitium; vt ipſiuſmet verba ſonant: ius enim cum habeat ipſe ſupremum, multos habet ſui iuris miniſtros, qui per ſe exercent iuriſdictionem temporalem: quod ſi quando contingit, notabiliter deficere, ſupplet auctoritas Summi Pontificis, & ipſe exercet conceſſam eis iuriſdictionem temporalem, hoc autem quoniam non ſit frequenter, caſualiter dicitur.

Ad Duod. Ad vltimam rationem in cap. 11. magis appoſitè reſpondebitur.

Obijciunt

 155

Obijciunt aduersarij, quod Dominia mundi non sint subalternata potestati Summi Pontificis; ac ad id probandum diuersas rationes adducunt.

Cap. X.

ALTERA duarum propositionum erat, quod omnia mundi dominia subalternata sunt potestati Summi Pontificis, & suo iuri. Obiectiones autem, quas adducunt aduersarij, partim sumuntur ex auctoritate, tum Sacræ Scripturæ, tum etiam eorumdem Summorum Pontificum, partim verò ex ratione.

Primum autem, quod eos maximè mouet, Iurisdictio est, & principatus infidelium; nam dicũt, quod Summus Pontifex non est dominus earum Prouinciarum, quas obtinent infideles, nec dum quia Christus solùm oues suas Petro commisit; sed quoniam Summus Pontifex non potest iudicare infideles; inquit enim Paulus Apostolus. Quid ad me de his, qui foris sũt iudicare? Deinde infideles sunt veri, & superiores Principes suorũ regnorum, quoniam habent ipsa à Deo; vnde legitur, quod Daniel dixit Nabuchd. regi. Tu es rex regum, & Deus cœli dedit tibi regnum, & Imperium. Et dominus noster Iesus Christus etiam dixit. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & Apostolus. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal: & paulò ante. Ideòque necessitate subditi estote, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam.

Ioã. ca. 21.

Corint. 1. cap. 5.

Dan. c. 2.

Math. ca. 22.

Rom. cap. 13.

Secundum, quod eos mouet, Iurisdictio est Principum Christianorum; quam ita liberam esse contendunt, vt ad ea, quæ spectant ad tẽporalem administrationem seipsa superiorem alteram non cogoscat, id autem auctoritatibus probant, & rationibus;

 Aucto-

Habetur in decret. d.96 can Duo sũt. Auctoritatum prima est Gelasij Papæ in Epist. ad Anast. Imper. qui inquit. Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.

Innoc.iij. Similiter Innocen.iij. cap. Solitæ, extra de maioritate, & obedientia. Ad firmamentum (inquit) cœli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna. i. duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, i. spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus, minor; vt quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. & in cap. Per venerab. extra qui filij sint legitimi: Cũ rex (inquit) superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subijcere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per se ipsũ, non tanquam Pater cum filijs; sed tanquam princeps cum subditis potuit dispensare.

c. Per venerab.

Alexan. Tertio loco occurrit Alexan. Papa cap. Si duobus. §. denique. extra de appellationibus, qui rogatus, an appellatio à iudice sæculari ad Papam teneat? respondit: Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti, in alijs verò secundum iuris rigorem credimus non tenere; & cap. Causam 2. extra qui filij: inquit, Nos attendentes, quod ad regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, &c.

c. Causã.

His itaq; testimonijs existimant sufficienter demonstrare, iurisdictionem Principum sæcularium nullatenus subiectam esse iurisdictioni Summi Pontificis; sed liberam omninò, & absolutam; Probant deinde alijs auctoritatibus, eãdem non habere dependentiam ab illa; sed immediatè à Deo esse, eodem modo dicentes, principatus sæculares esse de iure diuino.

lib.6. epi. 61. Primum testimonium est Gregorij Papæ, qui scribẽs ad

ad Mauritium Imper. ita inquit, Poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cęlitus data eſt.

Secundum eſt Ioānis Papæ can. Si Imperator. diſt. 96. Si Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non prę ſul Eccleſiæ, quod ad religionem competit; diſcere ei, non docere competit; habet priuilegia poteſtatis ſuæ, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitùs conſecutus eſt. vbi dicit gloſ. Ergo non à Papa, nam Imperium à ſolo Deo eſt (ſed hic non animaduertit gloſſator, quod dicit Dominus in Oſea. Regnauerunt Principes, & non ex me.) Ioannes. Glo ſ. Oſe. c. 4.

Tertium eſt Leonis epiſ. 38. & 43. qui fatetur, Imperium à Deo Martiano fuiſſe datum: & Imperator Iuſtinianus ſcribit. C. de veteri iure enuc. in princ. Deo auctore noſtrum gubernante Imperium, quod nobis à cęleſti maieſtate traditum eſt. Leo. Iuſtinianus.

Si quæ ſunt aliæ auctoritates ſiue Pontificum, ſiue Imperatorum, ſiue Doctorum, quoniam parumper, aut nihil videntur ab his diſcrepare, ſilentio prætereundas eſſe cenſeo; & vt ad Rationes deueniam. Duæ ſunt principales, quarum prima eſt.

Nullum prius dependet in eſſe à ſuo poſteriori, ſed poteſtas principum ſæcularium ſiue regalis, ſiue imperialis præcedunt tempore papatum, ſiue principatum Apoſtolicum, ergo non poteſt dici cum veritate, quod à principatu Apoſtolico dependeat poteſtas iuriſdictionis principum ſæcularium; Secunda verò eſt.

Multi ſunt principes, qui dominia ſua non recognoſcunt à Romano Pontifice, ergo non eſſent in ſtatu ſalutis, cum bona fide illa non poſsideant, hoc autem grauiſsimum eſt dicere, & totum mundum conturbare. Ergo ius principum non pendet à iure Summi Pontificis: ſiue, quod idem eſt, non ſubalternatur ei.

Reſpon-

Respondetur ad obiectionem primam, quæ est de principatu Infidelium. *Cap. XI.*

Ad prim. VT igitur secundum præfatum ordinē obiectiones singulas diligenter percurram; ad primam, quæ est de Principatu Infidelium dico, quod partim constat ex propositionibus falsis, partim verò ad propositum accommodatis inconcinnè. Prima illa propositio, quod Christus solùm oues suas commisit Petro, non negat tamen, quod omnes homines non possint esse oues Christi; his ergo, qui non sunt oues, arcendo dominatur, his Glos. verò, qui sunt oues, pascendo præest; vnde glos. Pascere est oues credentes in Christo, ne à fide deficiant, confortare; terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Præterquamquod auctoritas Petri, & totius mūdi eius iurisdictio non ex hac sola propositione conuincitur: sunt quoque aliæ. Et tibi dabo claues regni cœlo-Math. ca. 16. rum: Quodcūque ligaueris super terram: Et tu aliquan-Luc. ca. 22. do conuersus confirma fratres tuos; illud etiam non omittam, quod Petro agnos etiam Christus commendauit, per quos sunt qui intelligunt Iudæos, & gentiles. Adu. Græ. lib. 3. cap. 17. hinc Hugo Etherianus. Et ipsa rei euidentia liquidò apparet, quod Petrum, eiusque successorem Christus principem, & caput non modò Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuersi; verum etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum constituit.

Ad auctoritatem D. Pauli, super quam nititur altera propositio, quod Papa non potest iudicare infideles, dicitur,

dicitur,quod sensus D.Pauli non cò tendit, vt velit priuare se,siue Ecclesiam ista auctoritate, sed hoc ideò dicit,quia non expedit, cum sit scriptum: Qui non credit iam iudicatus est. Et hoc est iudicium, quod Summus Pontifex ferre potest in infideles iudicando, ipsos esse indignos dominatuum, & iam omni iure propter suam infidelitatem esse priuatos;fauet D.Thom.2.2.quęs.10. art.10. Quod deinde additur, veros esse, & supremos principes suorum regnorum, omnino falsa est propositio;non enim ex voto siue expresso, siue interpretatiuo Summi Pontificis regnant infideles; & si dicatur, quod regnant iure gentium,statim addo, quod gentes ius non habent;cum eis non si datum ab eo,qui est super omnia iura; quare meritò gloss. Super Epist.4.Clem. Debuit omne esse commune;sed per iniquitatem,exponit,idest per ius gentium; Ratio autem, qua confirmatur, quia huiusmodi regna sunt à Deo,non est idonea;nã & Oseas inquit. Regnauerunt, & non ex me;principes extiterũt, & non cognoui. Auctoritates verò non benè coaptãtur; namque Danielis auctoritas cò tendit,quò indicet, omnia regna in mundo pendere ab ipsa æterna, & diuina prouidentia,quod etiam docent Platonici omnes absq; controuersia; atque inde Statius.

Ioan.c.3. Thom. Glos. Ose.c.4. Theb.lib.5.

—— - cuncta hæc superum demissa suprema
Mente fluunt.

Et Boetius. Meth 9. lib.3.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, cœliq; sator.

Nònnè etiam ab ipsa diuina prouidentia pendent hominum voluntates, animæ item qualitates, diuitiæ quoque, & facultates? vnde Paulus Apostolus. Quid habes (inquit) homo, quod non accepisti, & si accepisti,quid gloriaris,quasi non acceperis? Dominia ergo omnia 1.ad Cor. cap.4.

omnia siue iusta, siue iniusta sint hoc iuris diuini habere dicuntur, inquantum permittuntur à Deo, & secundum suam dispositionem æternam huic, & illi conferuntur, siue ille iustus sit, siue iniustus; hoc enim modo aliquid esse de iure diuino, dicit quendam ordinem rerum vniuersalem; non autem particularem Dei ordinationem, sicut quando dicimus, Institutionem Sacramentorum esse de iure diuino; Introductionem item Pontificatus, & huiusmodi, quod distinguitur contrà ius, & inuetum humanum. illud autem distinguitur contrà fatum, & fortunam; & hinc est quod D. Augus. dicit, quod causa magnitudinis Imperij Romani non fuit fortuita, neque fatalis, sed prorsus diuina prouidentia; neque est mirum, quoniam inquit Iob. Qui facit regnare Hypocritam propter peccata populi; & Sapientia exclamat. Per me reges regnant, & tyranni tenent terrã. Itaq; consequentia non valet; Principatus hic est à Deo; ergo Princeps legitimus est, & non tyrannus; nam Antiochus, & Dionysius erat præordinatum à Deo, vt essent Principes, & potestas eorum erat, à Deo, quoniam omnis potestas à Deo est; nihilominus iniusti erant, & tyranni; Valet hæc tamen. Principibus tenemur obedire ex præcepto Pauli Apostoli. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; sed quando Principes præcipiũt aliqua, quæ sunt contrà verum cultum Dei, non debemus eis obedire, vt contigit Nabuchdonosor regi; ergo ipso facto quo rex amittit veram religionem, ius quoque regnandi amittit; quoniam subditi ius acquirunt non obediendi. Propterea Plato cum conseruatione Reipublicæ spectare dicebat ad Regem cultum veri Dei; & ratio est, quia hoc est maius bonum, sine quo cultu Rex non erat. & D. August. lib. 3. contrà Crescon. gram. ità inquit. In hoc enim reges, sicut eis diuinitùs præcipitur, Deo seruiunt, inquantum reges sunt, si in regno suo bona

De Ciui. Dei lib. 5. cap. 1.

Iob c. 34.

Prou. 18.

Rom. cap. 13.

Dan. c. 3.

August.

bona iubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quæ ad diuinam religionem.

Quòd Dominus dicat, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,& quæ sunt Dei,Deo, occurrit Dominicus Sot. dicens,quod illic non approbauit Cæsaris dominatum; sed eximere se volens ab illo iudicio, ius tantum naturæ retulit; Dicam tamen,quod Principi, etsi tyrannus sæuissimus existit; ac etiam absque veri Dei cultu, sine quo maxima est tyrannis. est loco mercedis eorum,quę in communem vtilitatem agit, tributum exigendum; dignus est enim operarius mercede sua; atque non est Princeps tyrannus aliquis ita sæuus, & crudelis, vt aliquam non habeat curam communis societatis,& ciuilis conuersationis, itaque propter hanc partem iustitiæ, quam exequitur in suos subditos; ipsi de iure tenentur tributa reddere, & hoc est, quod præcipit dñs, dicens, Reddite quæ sunt Cæsaris,Cæsari,& D. Paulus.Cui tributum,tributū,& cui vectigal,vectigal; & ad hunc sensum reducitur etiam id,quod præcipit dicens. Ideoque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est propter illud bonum,quod vobiscum gerit, dum dat operam communi vestræ vtilitati,& conseruationi;vnde addit.Ideò enim, & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes;& propterea Ioan.Chrysost. Theophylatus, & Oecumenius per conscientiam intelligunt hoc loco conscientiā beneficiorum,vt sit sensus:quia conscij vobis estis,quàm multa beneficia à Regibus accipiatis.

Matth. c.22. lib 4 q.4. Rom.cap. 13. Io Chrys. Theophy. Oecum.

Dominicus Soto vir vtique egregius, & probati ingenij; ac Canonistarum alij docent, licere Christianis bella mouere contrà Turcos,Afros,& Saracenos,& eorum regna diripere, & hoc ideò, quoniam regna illa vi possident, & præsertim Orientis, quæ olim Christia- Soto.

G norum

norum erant. Tunc dico, certum eſt, quod præfati infideles eodem iure.ſ.gentium,vel armorum.ſibi aſciuerũt regna, & arripuerũt de ſubditione Chriſtianorum,quo Chriſtiani olim, & præcipuè Romani de ſub poteſtate aliorum. Cur itaque Chriſtiani ſunt magis domini, quã pagani,ſi eodem iure procedunt? quod ſi ius hoc non tenet, certè Imperium Romanum nullam habet rationem dominij in Oriente; quapropter neceſſarium eſt dicere, licere Chriſtianis bella mouere in Infideles, & eos prælijs laceſsire;nõ iure aliquo gentium;huiuſmodi enim iura procedunt in infinitum; ſed auctoritate eius, qui eſt totius orbis dominus,cui licet de ſuo diſponere, prout vult; hunc autem eſſe Summum Pontif. in ſuperioribus ſatis eſt demonſtratum.

Obiectiones diluuntur, quibus nituntur aduerſarij oſtendere, Principes Chriſtianos non eſſe directè ſubiectos Summo Pontifici. *Cap. XII.*

ANTEQVAM ad rationes, & auctoritates reſpondeam, quas adducunt aduerſarij, vt inde doceant, principes Chriſtianos Summi Pontificis iuriſdictioni directè non eſſe ſubiectos, animaduertendum propono. Quod Summi Pontifices antiquioribus ſæculis multoties ſiue quadam ciuili honeſtate ducti,ſiue ob eorũ tem porum in rebus ſubtilioribus fidei tepiditatem coacti, in multis Imperatoribus cedere viſi ſunt, & præſertim in arctioribus Eccleſiæ negotijs, vbi maximè ad tollendam quamcunque violentiam,erat neceſſaria potentia, & auctoritas Imperatoris, qua ratione legitur apud quoſdam Catholicos, in Concilijs Imperatores etiam aliquando præſediſſe,quod tamen certiſſima res eſt, eis non

non licuiſſe, & ad hoc fortè intendens Aeneas Syluius Piccolomineus in Epiſt. 288. ita loquitur. Ante Nicęnũ Concilium ſibi quiſque viuebat, & ad Romanam Eccleſiam paruus habebatur reſpectus; quamobrem auctoritas Summi Pontificis non eo rigoroſo (vt ita dicam) examine, & ſubtili ſpeculatione ferebatur tunc per ora hominum, quo agitatur modò per ſapientium ſcholas; quapropter multa poſſunt cõcedi temporibus, quæ iuri negantur, & ideò non eſt cur miremur, ſi quãdoq; Summi Pontifices ſuo iuri, quadam neceſſitate coacti, quodammodo videantur pręiudicaſſe tum factis, tum etiam verbis, quæ tamen non licet in præiudicium officij, vel Pontificiæ maieſtatis atteſtari; Sicut dicit Leo Papa in Epiſt. ad Martionem Imper. Nonnunquam diuerſa ſunt merita præſulum, iura tamen permanent Sedium, quibus poſſunt æmuli perturbationem aliquam inferre, nõ poſſunt tamen minuere dignitatem. Paulus item Cæſarem appellauit, non quòd de iure eſſet ſuus Iudex (ita inquit Tur. Crem. lib. 2. c. 96. Sum. de Eccl.) ſed quia de facto. igitur non eſt admirabile, ſi Summi quoque Pontifices patronos habuerint Imperatores, ac vt talibus debitum honorem præſtare non recuſauerint; & ideò vbi Innoc. iij. in cap. Per venerabilem. qui filij ſint legitimi. fatetur, Regem in temporalibus ſuperiorem minimè recognoſcere; gloſ. inquit, de facto. ſ. non de iure. Ius autem debet præualere facto, quando violentia, aut alia quacunque cauſa non impeditur. Hæc igitur cũ ita ſint, ad auctoritates, & rationes aduerſariorum venio.

Aeneas Sylu.

Leo.

Act. Apoſ. c. 25.

Tur. Cre.

Innoc. iij.

Gloſ.

Et ad auctoritatẽ Gelaſij dico, quod de ſola exequutione loquitur, & de facto. & ideò dicit, regitur; quòd verum eſt: neque. n. à mũdo, decens eſt, vt principatuum diuerſitas auferatur omninò, nõ tamen dicit, quod vnus alteri non ſit ſubalternatus, hoc eſt, quod vnus quicquid iuris habet, habeat ab altero; & ius iuris tanquam pri-

Gelaſius.

marij sit exequutor. hinc fortè est, quod quando de Imperatore loquitur, potestatem eam vocat, quam Summi Pontificis dicit auctoritatem; ac si annuere vellet, Imperatoris esse posse; vt autem legitimè possit Papæ. Eodem modo loquendi vtitur Innoc. cap. Solitæ. in quibus verbis illud quoque absque notatione prætereundum non est; quod sicut Luna accipit lumen à Sole, ita potestas Imperialis vim habet à Pontificia, & vtriusque creator est Deus; vnde in eodem cap. scribens Imperatori Constantinopolitano, ita inquit. Potuisses autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo intelligere potius quod est dictum à Deo, Ecce cõstitui te super reges, & regna, vt euellas, & dissipes, ędifices, & plantes; atq; inde Bart. Super Extrauag. Ad reprimendum Rempublicam ciuilem docet à Summo Pontifice habere facultatẽ, & Imperatorem mundi esse dominum concessione Papæ.

Innocen. c. Solitæ. Ierem. c. 1. Bart.

c. Per venerab.

Ad illud in cap. Per venerab. dico item, quod Summus Pontifex, quando siue expressè, siue non expressè confert dominium aliquod Principi, aut iam in suã potestatem redactum confirmat, confert quoque, & cõfirmat ius omnes regendi, quantum. s. decere, & expedire animaduertit; nam cum conceditur alicui aliquod officium, aut regimen, censentur etiam cõcessa ea, sine quibus officium, siue regimen rectè expediri non potest. de offi. deleg. c. 1. & cap. Pręterea; quamobrem se intromittere non oportet, nisi in causis vrgentibus, & maximè necessarijs, vt si principes aliquid contrà religionẽ catholicam machinarentur, & quantum ad ea, quæ ad cultum diuinum pertinent, negligentes admodum essent; si leges ferrent contra Ecclesiasticos, & factas vellent tueri: si populos inauditis pedagijs, & gabellis discerperent; decet. n. pastorem curam gerere de suis ouibus. propter has itaque adductas rationes ita eleganter loquitur Innocentius de temporali regum superioritate.

De offic. deleg. c. Præterea.

Alexandri quoque ſententia de appellatione ad hunc ſenſum redigitur, vt non ſit rationabile alicui tollere, quod ei vel tacitè, vel expreſsè à Summo Pontifice creditur eſſe conceſſum.

Ad reliquas auctoritates, quibus probatur ſęcularem poteſtatem nullam habere dependentiam à Summo Pontifice reſpondeo, & ad teſtimonium Gregorij dico, ibi eſſe locutum quadã ciuili honeſtate, quæ Pontificiæ maieſtati præiudicare non debet, quomodo autem cęlitùs Imperatoribus ſit poteſtas data, in ſuperioribus ſatis eſt explicatum; Illud notandum eſt de honeſtate, & humilitate huius Pontificis Sanctiſsimi, quod refert Ioãnes Diaconus in vita eius, quod oẽs Sacerdotes fratres, oẽs clericos filios, omnes laicos dños ſuos vocabat. Lib. 4. c. 58.

Ad auctoritatem Ioannis dico ſimiliter, verum eſſe, quod Imperator de facto non eſt conſequutus Imperiũ à Papa, neque ab eo, vt infert gloſ. ad dignitatem Imperialem aſſumptus, non tamen ſequitur, quod de iure non debeat recognoſcere Summum Pontif. tanquã Vicarium Chriſti, cuius regnum à Patre eius, qui eſt Deus accepit, & ab eo, tanquam ab habente plenariam ſuper terram poteſtatem, habere ratum, & confirmatũ. Eamdem vim habet teſtimonium Leonis ad Martianũ Imperatorem, & per eãdẽ viam graditur Iuſtinianus in C. Ioannes. Leo. Iuſtinianus.

Ad rationes autem reſpondeo, & ad primam dico, quod de facto nõ dependet poteſtas Imperialis, ſiue ſæcularis quæcunque à ſpirituali; nullum.n. prius depẽdet in eſſe à ſuo poſteriori; ſed quidem de iure; per nouum ius. ſ. quod cadit in aliquam perſonã, quæ poſterior eſt. Nonnè Regis filius de recenti natus ius habet ſuper omnes antiquos miniſtros regni patris ſui?

Ad ſecundam dico, quod Reges, & Principes Chriſtiani, & Catholici, quantum ad id ſpectat, ſunt in ſtatu ſalutis, ſuis bona fide fungẽtes muneribus, & honoribus:

existimo enim, quod eorum nullus sit, qui nutui Summi Pontificis, quandocunque contingeret, habeat animum immani pertinacia obsistendi; alioquin essent ex his, de
Ose. c. 4. quibus dicit dominus. Regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt; & non cognoui. Hoc autē humile mentis obsequium tacita est recognitio, qua bona fide suos possident principatus. Hinc ergo nō videtur, quare mūdus totus debeat conturbari; sed gaudeo (inquit Apo-
2. Corin. c. 2. stolus scribens ad Corinth.) non quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati.n. estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis; quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.

Concluditur, quod auctoritati Summi Pontif. subalternantur, & subiectæ sunt omnes potestates mundi. *Cap. XIII.*

Restat modò, vt excussis omnibus difficultatibus, ac velut obtegentibus nebulis, diuino fauente flamine hùc illùcq; dispersis, veritas ipsa, luce clarior appareat; quod scilicet Summus Pontifex Domini nostri Iesu Christi Vicarius dominus est absolutus, & verus totius orbis; necnon quod Imperia, & regna, quæ esse prætendunt à sua iurisdictione aliena, & non subalternata ei, sunt mērè Tyrannides, ac iuris nullius; præter illa tamen, quæ sufficienter dicta sunt, hæc etiam vsui veniunt, quæ partim ex actis Pontificum, & Imperatorum, partim etiam ex ipsa ratione menti cuique naturaliter indita, & scripturis diuinitus corroborata sumuntur.

Vnum est, quod Principatuum pluralitas non est bona (vt docet Arist. lib. 12. Methaphys. in fine, & lib. 4. Polit.

Polit.cap.4. Non capit regnum duos. inquit Seneca, & Homericus Vlisses. Sen. in Thy.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω

Εἷς βασιλεύς.

Hinc Alexander Dario renunciare fecit, neque mundum soles duos, neq; duo summa regna saluo terrarum statu posse concoquere. Vnde D. Athanasius. Vt multitudo Deorum inquit, nullitas est Deorum, ita quoque necesse est, multitudinem principum id efficere, vt nullus esse princeps videatur, Vbi autem princeps non est, ibi prorsus conturbatio nascitur. Vulgò denique dicitur, quod multi duces deperdidere Cariam. Or.adu. Id.

Hoc autem contingit, quando vnus alteri simpliciter non subest, aut subalternatur in omnibus; nã si subalternetur in aliquibus sic, in aliquibus non, modo aliquò sic, modo aliquo non, disparati sunt isti principatus, & contrarios possunt habere fines, & contraria media ad illos fines, quapropter non tollitur vera principandi pluralitas, quæ omnino mala est; nã si fiat (etiamsi modica sit) à recto declinatio, mox inde præceps ad ima labitur vniuersa rerum gerendarum intenta dispositio. Itaq; cum vna sit omnium Christianorum Respublica, Pontificum, Imperatorum, Regum, Ecclesiasticorum, Laicorum, vnum.n.corpus sumus in Christo, inquit Paulus Apostolus; membra corporis Ecclesiæ, qui sunt principes ita debent esse ordinata ad inuicem, vt si diuersa sint, & quia diuersa, distincta quoque habeant munera; ad vnum tamen, & eundem finem consequendum, dirigãtur, qui est Reipublicæ, & populi Christiani optima gubernatio. Omnis autẽ directio à capite est, caput autem visibile est Summus Pontifex; ergo ei principes sæculi in eorum muneribus, quæ temporalia sunt directè tenẽtur subesse, & obtemperare, vt inde gubernetur optimè populus Christianus. Duæ autem sunt differẽtię Rom.cap. 12.

optimæ

optimæ gubernationis, vna, quæ versatur tantum circa societatẽ ciuilem, altera, quę versatur circa societatẽ ciuilẽ, & cultum veri Dei, & hinc est, quod duæ ẽt dicũtur esse species iurisdictionũ, vna ciuilis, altera spiritualis, siue Ecclesiastica; sed (sicut inquit Plato) nõ est vera societas ciuilis, quæ non prætẽdit cultũ veri Dei; ergo societas ciuilis debet subordinari cultui veri Dei; cũ autẽ

Ethic. 1. c. 1. fines subordinantur, (dicit Arist.) subordinantur quoque directè facultates: quamobrẽ oportet dicere, quod directè iurisdictio principis sæcularis subordinata est, & subalternata iurisdictioni Summi Pontificis.

Multæ eodem modo possunt rationes adduci, quibus scio aduersarios multa quoque in contrarium esse obiecturos; nisi enim veritas tranquillum inueniat intellectum, & capacem in infinitum possunt traduci disputationes; actiones enim suppositorum fiunt in patiẽte bene disposito: Exempla tamen magis mouẽt, quibus difficilis redditur mens ad respondendum. Si igitur antiquorum sæculorum gesta nolumus recusare, inueniemus, Summos Pontifices corripuisse tum verbis, tum factis principes sæculares, causas eorum ad suum tribunal euocasse; alios absoluisse, alios damnasse, regna eorũ alteris dedisse, populos à iuramento fidelitatis liberasse, terminos statuisse, quos non transcenderent in ministerio suarum legum, & iurum: & vt vno verbo maxima quoque complectar, ea omnia egisse, quæ ad illum spectant, qui plenariam, absolutam, & directam habet auctoritatem in certas personas, & status; quæ omnia in-

Innoc. iij. c. Nouit. ductione patebunt. Innocent. iij. in cap. Nouit extra de iudic. scribens prælatis regni Franciæ, & ostendere volens, quod dominus rex Franciæ non debebat sibi reputare ad iniuriam in controuersia, quæ erat intra eũ, & regem Angliæ, Apostolico iudicio se submittere ita dicit. Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad nostrum

iudicium

iudicium ſpectat de quocunque mortali peccato corrigere quemlibet Christianum, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticę cenſurę coercere. Et in cap. Solit. de maior. & obed. ad oſtendendam Imperatori Conſtantinopolitano, quod iure poterat eũ reprehendere, & increpare, ait. Nos autem etſi non increpando ſcripſimus, potuiſſemus tamen rationabiliter increpare, nobis enim in B. Petro ſunt oues Chriſti cõmiſſæ (dicente domino) Paſce oues meas, non diſtinguens inter has oues, & alias, vt alienum ſe à ſuo demonſtraret ouili, qui Petrum, & ſucceſſores ipſius magiſtros non recognoſceret, & paſtores. Gelaſius Papa vt patet in cap. Alius. diſt. 15. q. 6. ſcribens Conſtantino Imperatori, ita inquit. Alius item Pontifex, Zacharias ſcilicet regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum ſubſtituit, omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis abſoluit. Innocent. iiij. Regi Portugalliæ, qui prodigus, & dilapidator erat, & Eccleſias, monaſteria, pia loca, & perſonas eccleſiaſticas, viduas, pupillos, & orphanos grauabat, & grauari ſinebat dediſſe adiutorem, & ei adminiſtrationem regni interdixiſſe, legitur. vt in cap. Grãdi. de ſupplem. negl. præl. lib. 6. Gregorius ij. Leoni Imperatori prohibuit vectigalia ſolui, & proinde mulctauit eũ parte Imperij. Papa item imperium tranſtulit à Græcis, in Germanos: & Greg. V. ſanctionem, ſiue bullam fecit de eligendo Imperatore; atque ad id ſeptem Germaniæ principes electores deſtinauit; Archiepiſcopos Moguntinum, Treuirenſem, & Colonienſem, Marchionem Brandeburgenſem, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Boemiæ regem. de quo facto Innoc. iij. in cap. Venerabilem, extra de elect. ita dicit. Cum ad eos principes ius, & poteſtas

teſtas

c. Solitæ. Ioã. c. 21. Gelaſius. c. Alius. Innoc. iv. c Grandi. Gregor. Stephan. alij. Leo iij. Greg. V. Electores Innocen.

testas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam Caroli, à Græcis

Greg. vij. transtulit in Germanos. Gregorius vij. Henricum iv. deposuit, ac in suo loco alium eligi iussit, quod mox

Vrban. ij. factum est. Item in cap. Nos sanctorum. 15. q. 6. & Vrbanus ij. in ca. Iuratis ea. can. & q. posse docent Principes excommunicari, & in pertinacia perseuerantibus, Subditos à Sacramento absoluere ne eis fidelitatem

Innoc. iij. seruent. Innocent. iij. Othonem iv. Imperio priuauit; &

Innoc iv. Clem. vj. Innocen. iv. deposuit Fridericũ ij. & Clemens vj. Ludo-

Fælix. uicum vj. Fœlix Papa in c. Constitut. d. 10. Constitutiones (inquit) principum contrà canones, & decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores nullius sunt momenti. Gregorius similiter iij. in quodam priuilegio, in fine inquit: Si quis Regum Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque sæcularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur. Regulariter autem quilibet Summus Pontifex

Bull. Cænæ. in die Cœnæ Domini excommunicat quoscunque, Imperatorem, Reges, Duces, & Principes, qui nouis gabellis, & pedagijs populos, sibi subiectos, infestare tentant.

Ex his igitur aliter concludere non est posibile; quam quod Summus Pontifex plenariam in quibuslibet statibus, & personis habeat auctoritatem, absolutam omninò, & liberam.

Donet Dominus, & illuminare dignetur corda hominum, vt sublatis omnibus tumidis contentionibus, quæ tandem non nisi scandala, diuisiones, scismata, & hæreses solent in Ecclesia parere; vnusquisque suas partes agnoscat. Quod si rectores sunt aliorum; aliorum saluti prouideant, quod si iusti, & fideles principes; causa non existant subditorum suorum æternę perditionis, & mortis; Quod si sunt oues, vocem audiant manentes in

Ecclesia

Ecclesia Petri: nam extra illam vera non sunt pascua; neque salus. & si Christiano nomine volunt gloriari, Sedi Apostolicæ debitam præstent reuerentiam, & subiectionem: nam (vt inquit Gregor.) Peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se esse asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit. in c. Si qui dist. 81.

Sit nomen Domini benedictum.

Errata Typographorum grauiora, quæ absens Auctor operi iam excusso apponi iussit, vt infra corrigantur, &c. Sin autem pro perfecto Monarchico gubernio, & principatu, perfectiora aliqua solers exoptat ingenium. ex instituto Auctoris præsentis operis, ad 1. Opusc. D. Aquinatis Angelici Doct. recurrat: præcipueq; ad 66. eius caput. cui plenè annuit.

pag. 1.	lin. 10.	Bernardus	Bernardinus.
pag. 1.	lin. 10.	Iudicis	Indicis
pag. 4.	lin 26.	præcor	precor
pag. 10.	li. 10.	ἐπίτετεται ἔργυις	ἐπιτέρπεται ἔργοις
pag. 10.	li. 12.	ταττὸ	τουτὸ
	li. 14.	Ναυ	Νῶ
	li. 28.	Æginctas	Æginetas
pag. 11.	li. 10.	vt	&
pag. 15.	lin. 13.	principiũ	principũ
pag. 17.	in fin.	mores	more
pag. 18	lin. 4.	gessit	gesserit
pag. 18.	lin. 6.	quibus introductis	qua introducta.
pag. 18.	li. 11.	vt non	nec non
pag. 21.	lin 1.	Tuliam	Iuliam
pag 23.	li. 18.	At vbi vera religione pastoris	At vbi à vera religione posteri
pag. 23.	li. 26.	fuisse	fuerunt
pag. 25.	li. 27.	Primæ	Prima
pag. 37.	li. 16.	Ratonem	Rationem
pag 40.	li. 23.	Ab illa autem nemo est appellari voluerunt	superflua sunt.
pag. 42.	li. 11.	Non	Sic
pag. 43.	li. 33.	cogoscat	cognoscat
pag. 45.	lin. 30.	Ille	Illa

Imprimatur de licentia Reuerendissimi Patris Hippoliti Magist. Gener. totius Ord. Erem. S. Augustini, vt constat per litteras datas Romæ sub die septima mensis Februarij 1607. directas Admodum Reu. Patrẽ Magistro Hortensio Iouannellio Bonon.